DE

FULCONIS HIEROSOLYMITANI REGNO

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

G. DODU

FACULTATIS LITTERARUM LUGDUNENSIS OLIM ALUMNUS

PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS BIBLIOPOLAS

79, via dicta boulevard Saint-Germain, 79

1894

DE
FULCONIS HIEROSOLYMITANI REGNO

PROŒMIUM

Mihi placuit, postquam demonstravi quibus legibus et institutis Hierosolymitanum regnum Latini reges administraverint[1], unius cujusdam eorum vitam perpendere. Quem vero potissimum excerperem, cum plerique omnibus virtutibus ornati essent, paululum dubitavi. Andegavensem Fulconem, duabus de causis, elegi.

Fulcone enim regnante cum Latini, Gothofredo, Balduino I° ac Balduino II° ducibus, res egregie bello gessissent, in summam gloriam venerant. Turcos etiam, quasi invicti essent, in terrorem ingentem conjecerant; seque in perpetuum fore victores confidebant. Post autem Fulconem defunctum jam nutat civitas, et Turci prospero fortunæ flatu postea usuri se ad Hierusalem recuperandam parant. Quamobrem Fulco mihi dignus esse visus est qui historicorum mentes in se converteret.

Multi præterea et in Francia et in Alemannia viri docti Hierosolymitanis regibus cognoscendis operam dederunt; memoriam videlicet composuerunt vitæ Gothofredi Exauvillez[2], Prevault[3], Vetault[4]

1. Vide librum a me scriptum : *Histoire des Institutions Monarchiques dans le royaume latin de Jérusalem*, 1099-1291. (Parisiis, Hachette, 1894, in-8).

2. Exauvillez (Ph.), *Histoire de Godefroy de Bouillon.* (Parisiis, Debécourt, 1842, in-12).

3. Prévault (H.), *Histoire de Godefroi de Bouillon suivie de l'histoire des Croisades jusqu'à la mort de St Louis*, édit. tert. (Insul., Lefort, 1894, in-12).

4. Vetault (Alph.), *Godefroi de Bouillon* (Turon., Mame, 1874, in-8).

ac Fr. Monnier[1], Balduini I^i Wolff[2], Amalrici I^i Röhricht[3], Joannis Brenensis Lafitau[4]. Hunc autem in primis librum non omittam quem de Cypri principibus vir clarissimus Mas Latrie scripsit[5] : Guidonis enim de Lisiniaco simul atque Amalrici II^i facta hic auctor posteris memoravit. Quoniam vero de Fulcone nemo adhuc scripsit[6], optavi ego ut res ab eo gestæ in medium proferrentur.

Utinam hoc opusculum, licet mediocre nec emendatum, optatis respondeat !

1. Monnier (Fr.), *Godefroi de Bouillon et les Assises de Jérusalem avec des documents inédits.* (Paris, Didier, 1874, in-8).

2. Alfr. Wolff, *König Balduin I von Jerusalem,* inaugural Dissertation der Univers. Königsberg (Königsb. 1884, in-8).

3. Röhricht (R.), *Amalrich I, König von Jerusalem* (Mittheilungen des Instituts für œsterreichische Geschichtsforschung, 1891, t. XII).

4. Lafitau, *Hist. de Jean de Brienne, roi de Jérusalem et empereur de Constantinople.* (Paris, 1727, in-12).

5. De Mas Latrie, *Hist. de l'île de Chypre sous le règne des princes de la maison de Lusignan,* 3 vol. in-8. (Paris, 1852-1861).

6. Brevissime quidem disseruit Castonnet des Fosses (*Le Royaume de Jérusalem sous la maison d'Anjou,* Andegav. 1889, in-8) de regibus Hierosolymitanis ab Andegavensi domu ortis, Fulcone scilicet, Balduino III°, Amalrico I°, Balduino IV° ac Balduino V°, sed statum Hierosolymitani regni, Andegavensibus regnantibus, non Fulconis vitam, depinxit.

CAPUT PRIMUM

De Fulcone Andegavensi comite

I. QUIS ET QUALIS MORIBUS FUERIT. — II. QUOMODO OPIBUS ET POSSESSIONIBUS CREVERIT. — III. QUAS PARTES, OPIBUS VALENS, IN FRANCORUM REGNO SUSCEPERIT.

I. — Fulco Junior octavus ab Ingelgerio numeratur inter Andegavenses comites qui jure hereditario rerum regimen susceperant et nomine quintus[1]. Cujus antecessores continuis incrementis ita possessionum fines propagaverant ut domus Andegavensis fere regalis domus esse videretur. Tenebat enim in sua ditione Fulco non solum terram Ingelgerio olim a Carolo Calvo rege concessam[2], sed

1. Ingelgerius videlicet, Fulco I^us^ Rufus, Fulco II^us^ Bonus, Gosfridus Grisa Gonella, Fulco III^us^ Nerra, Gosfridus Martellus Primus, Fulco IV^us^ Richinus, Fulco V^us^ Junior. Etenim Mauricium æque ac Gosfridum Martellum Secundum præterire decet, cum ille de Fulconis III^i^ aliquantisper absentis sententia imperium exercuerit, et hic ante patrem defunctum Fulconem IV^um^ mortuus fuerit.

2. Ingelgerium omnes historici censent primum fuisse comitum qui in Andegavorum civitate honorem habuissent hereditarium. Vide *Fragmentum Historiæ Andegavensis, auctore Fulcone Richino* (*Chroniques d'Anjou*, Marchegay et Salmon, *Soc. Hist. Fr.*, 1856, p. 376) : « Et ille primus Ingelgerius habuit illum honorem a rege Franciæ, non a genere impii Philippi sed a prole Caroli Calvi, qui fuit filius Illudovici filii Caroli Magni. » — *Chronica de Gest. Cons. Andeg.* (*Ib.* p. 45). — Bodin, *Recherches sur Angers*, éd. 1821, t. I,

et Vindocinensem comitatum quem Fulco IIIus acquisiverat[1], Turonicamque civitatem Gosfrido Martello Primo traditam[2].

Ipse quidem idoneus erat qui bona patria servaret, immo augeret. Attamen incredibile est quantum, excepta rei bellicæ scientia, a majorum more ac natura dissenserit. Genere enim strenuo, militiæ impigro, ac maxime duro atque implacabili natus, tranquillius tamen et misericordius se ipse, quanquam bello acerrimus, gessit[3]. Quantum

c. XX, p. 159. — Nonnulli quidem Ingelgerium fuisse negant. Vide : Mabille, *Introd. aux chroniques des comtes d'Anjou* (*Soc. Hist. Fr.*, 1872, pp. LIII-LV et CI, et *Bibl. de l'Ec. des Chartes*, 1869, pp. 162, 166, 182) ; Monod (*Revue Critique*, sept. 1874, p. 164). Verumtamen non est dubium quin Ingelgerii genere comites Andegavenses nati fuerint. Vide Port (*Dict. de Maine-et-Loire,* t. II, p. 385).

1. Cum, prœlio apud Pontilevensem commisso, superior Fulco IIIus discessisset, Vindocinensem comitatum obtinuerat (anno 1016). Vide : *Chr. Rainaldi archidiaconi Andeg.* (*Chr. des Eglises d'Anjou*, Marchegay et Mabille, *Soc. Hist. Fr.*, 1869, p. 10) ; *Chr. S. Alb. Andeg.* (*Ib.* p. 22) ; *Chr. S. Sergii Andeg.* (*Ib.* p. 134) ; *Chr. S. Florentii Salmurensis* (*Ib.* p. 187) ; *Chr. Vindocinense seu de Aquaria* (*Ib.* p. 164).

2. Anno 1044. *Chr. Rainaldi arch. Andeg.* (*Chr. des Egl. d'Anj.*, p. 11). — *Chr. S. Alb. Andeg.* (*Ib.* p. 24). — *Chr. S. Flor. Salm.* (*Ib.* p. 188). — *Chr. S. Serg. Andeg.* (*Ib.* p. 136). — *Chr. de Gest. Cons. Andeg.* (*Chr. d'Anj.*, p. 121). — *Hist. Comit. Andeg. auctore Thoma Pactio, Lochensi priore* (*Ib.* p. 331).

3. Sugerius (*Gesta Ludovici Regis cognomento Grossi*, éd. Aug. Molinier, c. XXVII, p. 104 ; c. XXVIII, p. 107), *Gesta Ambaz. Dom.* (*Chr. d'Anj.*, p. 205), *Hist. Gaufredi Cons. Andeg.* (*Ib.* p. 238), in quibus similiter hæc reperiuntur verba : « Vir bellicosus ». — *Chr. de Gest. Cons. Andeg.* (*Ib.* p. 143) : « Armis strenuus ». — Willelm. Tyr. éd. Acad. 1844, l. XIV,

severitatis in Fulcone IV° Richino patre[1] et Bertrada de Monteforti matre[2] judicandis, tantum benevolentiæ in filio omnes historici adhibent. Viro enim gratulantur quod vias patris matrisque deseruerit, honestam vitam deduxerit terramque prudenter rexerit. Quorum in numero nullum reperias qui non demonstret quantum differat probitas qua Fulco Hierosolymitanus vixerit a Fulconis Tertii vel Quarti nequitia, nullum qui omnibus virtutibus ornatum eundem ante lectoris oculos non ponat[3]. Crine rufus, statura mediocris, memo-

c. I, p. 605 : « Rei militaris experientissimus, et in bellicis sudoribus patiens et providus plurimum ». — *Grandes Chr. de France* (*H. F.*, t. XII, p. 183) : « Fouques, li Cuens d'Anjou, qui tant estoit renomez et prisiez aus armes ».

1. *Chr. de Gest. Cons. Andeg.* (*Chr. d'Anj.*, p. 140) « Libidinosus Fulco ». — *Gest. Ambaz. Dom.* (*Ib.* p. 191) « Pernimium libidinosus » et p. 195 « Comes protervus ». — *Hist. abbrev. Cons. Andeg.* (*Ib.* p. 359) : « Hic et cum in juventute strenuus Fulco haberetur, ad annos viriles veniens, gulositati, ebrietati, libidini, inertiæ et pigritiæ subjacuit. » — Ordericus Vitalis, éd. Aug. Le Prevost (*Soc. Hist. Fr.*, 1838-1855, t. III, l. VIII, c. X, p. 323) : « Hic in multis reprehensibilis et infamis erat. » Ideo non mirum est si de Richino in *Historia abbrev. Cons. Andeg.* (*Chr. d'Anj.*, p. 360) ita pronuntiatum est : « Male incœpit, pejus vixit, pessime vitam finivit. »

2. *Chr. de Gest. Cons. Andeg.* (*Chr. d'Anj.*, p. 140) : « Cujus præter formam nihil unquam bonus laudavit. » Cf. *Gest. Ambaz. Dom.* (*Ib.* p. 191). Infamis ceterum Bertrada exstat adulteris nuptiis simul atque artibus in Francorum curia compositis, seu sub præcone episcopales dignitates subjicit (*H. F.*, t. XV, pp. 97, 98 ; pp. 100, 101), seu odium in principem Ludovicum, Philippi filium, immane suscipit. (Sug. *Gest. Lud.* c. XVII, p. 57. — Ord. Vit., t. IV, l. XI, c. IX, pp. 195-197).

3. Vide potissimum *Chr. de Gest. Cons. Andeg.* (*Chr. d'Anj.*, p. 143) et Willelm. Tyr., l. XIV, c. I, p. 605.

riam adeo fluidam habens ut non vultus nisi paucorum agnosceret[1], excellebat Fulco neque corporis specie neque ingenii acumine. Verum sapientia princeps, in consiliis providus, nec cuiquam diligentia impar erat. Cujus rei vel ea fides sit quod in Andegavensi comitatu primum, in Hierosolymitano dein regno, se justum omnibus præbuit, impensam dedit rebus domesticis operam et ad hostes debellandos paratus assidue exstitit. Christiani non magis quam comitis regisve officium deserens[2] : Deo religiose inserviebat et quemque inservire jubebat. Quemadmodum Dei cultoribus benevolentiam præstabat, sic deditos homines cupiditatibus libidinibusque aspernabatur, irreligiosos removebat. Attamen adeo non spiritualia prætulit temporalibus ut extra jus imperiumque clericorum semper viveret. Quæ quidem data Andegavensi ecclesiæ Omnium Sanctorum jam a Fulcone Tertio erant ipse iterum dedit ecclesiamque locupletiorem fecit (1118)[3] ; nundinarum et privilegium Cenomannensi ecclesiæ Sancti Juliani conces-

1. Willelm. Tyr., l. XIV, c. I, p. 605 : « Ita ut de eo cui paulo ante supremum impenderat honorem, et familiaritatis gratiam, diligenter postmodum quæreret, quisnam esset, si ex improviso ei se præsentem daret. »

2. *Ib.* l. XIV, c. II, p. 608 : « Magnifice plurimum in Dei servitio se habens ». — *Chr. de Gest. Cons. Andeg.* (*Chr. d'Anj.*, p. 143) : « Fide catholicus ».

3. Continet enim Bibliotheca S. Genovefæ chartam manu scriptam ubi beneficia quibus ecclesiam Fulco III^us^ et Fulco V^us^ ornaverunt memorantur. Chartam Eremburgis, Junioris uxor, Gosfridusque filius et quamplures alii subscripserunt. Vide *Suppl. H.* 564, fol. 3-4.

sit (1120)[1]; abbatiam quoque Oratorii, magnis sumptibus, in episcopatu Andegavensi, anno ab Incarnatione Domini 1121, condidit[2]; sed post quartum annum Guidoni Cenomannorum episcopo ob investituram contra adstitit, bona invasit ecclesiæ et ubique famulos qui fruges episcopi colligerent censusque conservarent distribuit[3]. Ne Summi Pontificis quidem interventum perpetiebatur. Calixtum Secundum, quamvis in Andegavorum civitate anno 1119 acceperit honorificentissime[4], Calixto atque Honorio Secundo paulo post restitit. Nam cum Sibyllam suam Willelmo Clitoni, Roberti II[i] Normanniæ ducis filio, in matrimonium collocasset, asperum sibi certamen cum papa, qui conjunctionem ob affinitatis gradus irritam declaraverat[5], instituit : legatis itaque pontificalibus

1. *Ex Gestis Pontificum Cenomannensium* (*H. F.*, t. XII, p. 551). — Bodin, *Rech. sur Angers*, t. I, pp. 248, 249.

2. *Chronicon Turonense* (Martène, *Ampl. Coll.*, t. V, p. 1014). — Willelmus de Nangiaco (*H. F.*, t. XX. p. 727). — Bodin, *Rech. sur Angers*, t. I, p. 247.

3. *Ex Gest. Pontif. Cenom.* (*H. F.*, t. XII, p. 552).

4. *Chr. S. Alb. Andeg.* (*Chr. des Egl. d'Anj.*, p. 32). Calixtus, rogante Fulcone, ecclesiam B. Mariæ de Charitate, vulgo de Ronceray, dedicavit. Qua de re vide notitiam apud *Rerum Gallicarum et Francicarum scriptores* editam (t. XII, p. 480 n. *b*). De anno non est disputandum quamvis annus 1120 auctori cuidam placuerit (*Chr. S. Flor.* ap. *Chr. des Egl. d'Anj.*, p. 190). Vide enim supradictam notitiam in qua legere licet : « Hoc autem factum est sub Ludovico rege Francorum, Fulcone Juniore Andegavensium comite, Reginaldo eorundem episcopo, Tiburge abbatissa S. Mariæ Charitatis, anno ab Incarn. Dom. MCXIX. »

5. *Spicilège*, d'Achéry, in-fol. t. III, p. 479 : « Causam matrimonii inter Guillelmum filium comitis Roberti et filiam

a Fulcone in vincula conjectis, excommunicatio ab Honorio denuntiata est terraque ad condignam usque satisfactionem interdicto supposita[1].

Rex postea effectus Fulco tanta liberalitate, ad superiorum regum exemplum, in Sancti Sepulcri canonícos usus est[2] ut eum « in operibus pietatis et eleemosynarum largitione liberalem admodum » vocaret Tyrius[3]. Reginæ Milisendi ut monasterium in loco cui Bethania nomen ædificaret permisit[4]. Imprimis quid ecclesiis deberent reges ipse pronuntiavit et debita præstitit : « Regie unctionis professio regieque majestatis equitas exigit et honestas ut is, qui in trono regio meretur divinitus sublimari, ecclesiarum studeat directionem exigere et sacre religionis cultum, in quibus digne poterit, ampliare[5]. » Sed non apparet regem clericis, quantumvis in regno Christiano

comitis Andegavensis contracti, cui parentelæ titulus opponitur, dilecto filio nostro J... Presbytero cardinali commisimus finiendam. Qui post susceptam idoneorum testium de parentela probationem, ubicumque Guillelmus filius Roberti comitis fuerit, prohibuit officia celebrari, nisi utique ad datum a se terminum conjugium idem dissolverit. Unde fraternitati vestræ præcipimus, ut eamdem sententiam a nobis firmatam per vestras faciatis parochias observari. Datum Laterani, etc. »

1. *H. F.*, t. XII, p. 708, n. *a*.

2. *Cart. S. Sep.* (E. de Rozière), n° 31, pp. 57, 58; n° 32, pp. 58, 60; n° 33, pp. 60, 65; n° 86, pp. 166, 167.

3. Willelm. Tyr., l. XIV, c. I, p. 605.

4. *Ib.* l. XV, c. XXVI, p. 699.

5. *Cart. S. Sep.*, n° 33, p. 60.

valentibus[1], cessisse. Hierosolymitanus patriarcha Willelmus jus regium, Fulcone regnante, observavit nedum præceperit[2]. Hoc efficitur ut Fulco, licet religiosus, iniqua consilia religiosorum rejicere nusquam veritus sit. Etenim erat quoque ambitiosus, ad connubia principum regumque capessenda artifex[3], divitiarum non adeo contemptor[4], immo fidei lucrum præponens[5]. Hi sunt Andegavensis Fulconis mores ab historicis monstrati.

Res aliquantum hæret de anno quo natus sit vere præfiniendo. Si quis, solitæ Tyrii eruditioni confidens[6], cetera testimonia despiciat, committit ut falso computet annos quibus jam actis Fulco regnum Hierusalem obtinuerit : « Erat, inquit episcopus, jam grandævus et plus quam sexagesimum agens

1. Vide librum a me scriptum (*Hist. des Inst. Mon. dans le roy. lat. de Jér.*, c. VI).

2. Willelm. Tyr. (l. XIV, c. XVII, p. 630) Hierosolymitanum patriarcham appellat « virum mitissimum et pacis amatorem ».

3. Duos Fulco filios ex uxore genuit et in eodem numero filias : Gosfridum scilicet qui Mathildem Henrici Primi filiam Romanorumque Henrici Quinti imperatoris viduam, uxorem duxit ; Heliam cui Perchensis comes filiam uxorem dedit ; Sibyllam Willelmo Clitoni primum, Theoderico dein Flandrensium comiti, et Mathildem Willelmo Adelino, Anglorum regis filio, in matrimonium collocatas.

4. *Grandes Chr. de France* (*H. F.*, t. XII, p. 177) : « Li cuens maimes Fouques d'Angers, qui au roi de France s'estoit aliez et asseurez par bones ostages par homage, brisa sa foi par sa convoitise et par s'avarice. »

5. Sug., *Gest. Lud.*, c. XXV, p. 91.

6. Vide *Hist. des Inst. Mon. dans le roy. lat. de Jér.* Introduction.

annum[1]. » In hoc et reprehendendus Michaud quod illa verba, sine ulla censura, iteraverit : « Foulque avait plus de soixante ans lorsqu'il monta sur le trône de Jérusalem[2] », et insuper dixerit : « Baudoin III, âgé de douze ans, succéda à son père Foulque d'Anjou ; la reine Mélisende fut régente du royaume ; ainsi les rênes du gouvernement tombaient des mains faibles et impuissantes d'un vieillard dans celles d'une femme et d'un enfant[3]. » Nec solertius aut rectius Wilken, maximi licet et præclarissimi operis auctor, cum Fulconem semel atque iterum vocavit senem, æstimavit[4]. Miror quidem quod, omnia cum ab omnibus seu miseris seu potentibus facillime percontari potuerit[5], Tyrius tantum erraverit. Clarius jam error apparet si rem diligentius perspicis et pertentas. Hierosolymitani enim mater Bertrada non ante annum 1089 Fulconi Richino nupserat, ex Orderico Vitali[6], immo annum 1091, ex Turonensi chronico[7]. Quare Fulco vix annum nonum et tricesimum attigerat

1. Willelm. Tyr., l. XIV, c. I, p. 605. Placet quoque hæc sententia auctori versionis gallicæ.

2. Michaud, *Histoire des Croisades* (éd. 1825), t. II, p. 119.

3. *Ib.* p. 120.

4. Wilken, *Gesch. der Kreuzzüge*, t. II, p. 593 : « Sechzigjähriger Greis. » *Ib.* p. 597 : « Der alte König Fulco. »

5. Vide *Hist. des Inst. Mon. dans le roy. lat. de Jér.* Introduction.

6. Ord. Vit., t. III, l. VIII, c. X, p. 320 et sq.

7. *Chronicon Turonense* (Martène, *Ampl. Coll.*, t. V, p. 1012). Cf. *Art de vérifier les dates*, les Rois de Jérusalem. — Du Cange, *Familles d'Outre-Mer*, p. 15, n. 9. — *H. F.*, t. XVI, Procemium p. 40. — Port, *Dict. de Maine-et-Loire*, t. II, p. 193.

cum Balduini Secundi soceri successionem anno 1131 accepit[1]. Ex quibus perspicuum est eundem anno 1091 vel 1092 in vitam ingressum fuisse[2].

II. — Rem igitur familiarem Fulco, ubi primum adolevit, administravit; ideo quietis impatiens et cupiditate ardens possessionum opumque quantumlibet amplificandarum. Quas quanta celeritate constituerit vide. Cum, vivo adhuc patre, Philippum Francorum regem, investituram petiturus, adiret, a Willelmo VII° Pictavensium comite plus uno anno, donec quædam in utriusque comitatus confinio castella posita cessisset, in carcere asservatus fuerat[3]. At, auctoritate regis interposita, libertatem recuperaverat bonaque[4]; et hinc jam gloria optimaque fama impar nulli brevi effectus est.

Patre enim defuncto, consulatum, anno 1109, accepit[5]. Haud multo post sibi filiam comitis Ceno-

1. Kugler (*Gesch. der Kreuz.*, p. 117) non eadem ratione deceptus est qua historici superiores : « Fulko war etwa 40 Jahre alt, als er seinem Schwiegervater in der Regierung nachfolgte. »

2. Noli igitur ad litteram accipere testimonium illorum qui *Chronica de Gestis Consulum Andegavorum* vel *Histioriam abbreviatam consulum Andegavorum* scripserunt (*Chr. d'Anj.*, pp. 155 et 361). Noli Fulconem, quoniam anno 1144, sicut posterius dicetur, obiit, senilem cum ad ætatem pervenisset obiisse dicere.

3. Ord. Vit., t. IV, l. XI, c. XVI, pp. 217, 218.

4. Willelm. Tyr., l. XIV, c. I, p. 607.

5. *Chr. S. Alb. Andeg.* (*Chr. des Egl. d'Anj.*, p. 31). — *Chr. Vind. seu de Aq.* (*Ib.* p. 172). — *Chr. S. Flor. Salm.* (*Ib.* p. 190). — *Gesta Ambaz. Dom.* (*Chr. d'Anj.*, p. 195). — *Chronicon Turonense* (Martène, *Ampl. Coll.*, t. V, p. 1013).

mannensis Heliæ, Ereburgem nomine[1], conjunxit. Noli enim putare hoc matrimonium anno 1107, ut ait Port[2], fuisse contractum, cum nihil habeas quod testimonia Tyrii[3] aut chronographi Turonensis[4] suspicias. At ne committas ut ei qui *Ambaziensium Dominorum Gesta* scripsit fidas aut matrimonium serius quam oportet, Helia scilicet comite jam mortuo, indicas[5]. Ne Thomæ Pactii auctoritas sit apud te pluris[6]. Ceteris enim auctoribus aliter placet. Nonne in *S. Albini Andegavensis chronicis* Fulconem legimus ante mortuum Heliam

— Errat sane *Chr. S. Maxentii Pictavensis* ubi legere est : « Anno MCVIII » pro MCIX (*Chr .des Egl. d'Anj.*, pp. 423, 424).

1. Eremburgis, ap. Ord. Vit. (t. III, l. VIII, c. XI, p. 332; t. IV, l. X, c. VII, p. 36 et c. XVII, p. 102); ap. Willelmum de Nangiaco (*H. F.*, t. XX, p. 727); ap. *Turonensem chronographum* (Martène, *Ampl. Coll.*, t. V, p. 1013). Heremburgis, ap. illum qui *Gesta pontif. Cenom.* scripsit (*H. F.*, t. XII, p. 552). Arenburgis, ap. *Chr. S. Alb. Andeg.* (*Chr. des Egl. d'Anj.*, p. 33). Aremburgis, ap. *Chr. S. Flor. Salm.* (*Ib.* p. 190). Placet quibusdam Sibylla (*Hist. Comit. Andeg. auctore Thoma Pactio*, *Chr. d'Anj.*, p. 334); et Willelmo Tyrio Guiburgis (l. XIV, c. I, p. 606).

2. Port, *Dict. de Maine-et-Loire*, t. II, p. 114.

3. Willelm. Tyr., l. XIV, c. I, p. 606 : « Fulco, patre jam defuncto, uxorem duxit filiam comitis Helyæ. »

4. *Chr. Turonense* (Martène, *Ampl. Coll.*, t. V, p. 1013). Anno MCX.

5. *Gest. Ambaz. Dom.* (*Chr. d'Anj.*, p. 200) : « Interea Fulco, comes Andegavorum, post obitum Heliæ Cenomannensis, filiam ipsius duxit uxorem. »

6. *Hist. Comit. Andeg. auctore Thoma Pactio* (*Chr. d'Anj.*, p. 335) : « Fulco comes Andegavorum filiam Heliæ comitis Cenomannensium, quam unicam et heredem reliquerat, accepit uxorem, et comitatum cum illa. »

Heliæ generum factum? « Eo tempore, V° idus julii, Helias comes Cenomannorum obiit, honorem suum Fulconi Juniori, genero videlicet suo, derelinquens[1]. » Nonne idem e *S. Sergii Andegavensis chronicis* intelligi potest? « Illico mortuus est Helias, Cenomannensis comes; et Fulco, comes Andecavorum, recepit civitatem Cenomannorum, qui filiam Heliæ duxerit uxorem, ad quam jure pertinebat[2]. » Verba autem Orderici Vitalis manifestius ea demonstrant quæ significari volumus : « Helias comes, historicus ait, Eremburgem filiam suam Fulconi... Andegavorum comiti dedit, ipsumque Cenomannis dominum sibi successorem constituit[3]. » Denique, quam qui *Gesta consulum Andegavorum* condidit, disertus : « Qui (Fulco) ab Helia, Cenomannensi comite, unicam filiam suam... dari sibi cum Cenomannico consulatu impetravit[4]. » Numquid pluribus opus est? Vix filiam Andegavensi comiti collocaverat Helias et moriebatur, Cenomannico Andegavensique consulatibus inde conjunctis (1110)[5]. Operam simul in turbido quoque reprimendo Fulco posuit, cujus præstanti fortunæ jam invidebant nonnulli. Doatum castrum et Insulam, anno 1109[6] vel 1110[7], cepit. Ad

1. *Chr. S. Alb. Andeg.* (*Chr. des Egl. d'Anj.*, pp. 31, 32).
2. *Chr. S. Serg. Andeg.* (*Ib.* p. 143).
3. Ord. Vit., t. IV, l. X, c. XVII, pp. 102, 103.
4. *Chr. de Gest. Cons. Andeg.* (*Chr. d'Anj.*, p. 143).
5. *Chr. S. Alb. Andeg.* (*Chr. des Egl. d'Anj.*, p. 31). — *Chr. S. Serg. Andeg.* (*Ib.* p. 143).
6. *Chr. S. Alb. Andeg.* (*Ib.* p. 31).
7. *Chr. S. Flor. Salm.* (*Ib.* p. 190).

Braccum Saccum, anno 1112[1] vel 1113[2], duxit exercitum. Gravis inter eum et burgenses Andegavenses, anno 1114[3] vel 1116[4], contentio facta; quæ causa burgenses contra comitem moverit, quis belli exitus fuerit, tacent auctores; quorum quidem in operibus nemo, quamvis sit perspicax, indicia vel obscura reperiat.

Quibus rebus feliciter actis, videtur Fulco imperium in vassalos firmius exercuisse; vel ea fides sit quod anno 1120 Hierusalem, nullis impeditus difficultatibus, primum petiit[5]. Errat sane Tyrius scribens : « Prædictus Fulco, uxore defuncta, Hierosolymam, orationis gratia, priusquam a domino rege vocaretur, petierat[6]. » Dein Tyrio assentiens Michaud : « Foulque d'Anjou ne pouvait se consoler de la mort de sa femme Eremberge, fille d'Elie, comte du Maine; et son chagrin le conduisit dans la Palestine[7]. » Etenim quo anno defuncta fuerit Eremburgis docent Andegavenses chronographi, de ortu et morte Andegavensium comitum vel comitissarum optime moniti. Cum annum 1126 indi-

1. *Chr. S. Alb. Andeg.* (*Ib.* p. 32).

2. *Chr. S. Flor. Salm.* (*Ib.* p. 190).

3. *Chr. S. Alb. Andeg.* (*Ib.* p. 32).

4. *Chr. S. Serg. Andeg.* (*Ib.* p. 143).

5. *Chr. S. Alb. Andeg.* (*Chr. des Egl. d'Anj.*, p. 32). — *Chr. S. Flor. Salm.* (*Ib.* p. 190). — Ord. Vit., t. IV, l. XII, c. XXIX, p. 423. — Bodin, *Rech. sur Angers*, t. I, p. 244. — Port, *Dict. de Maine-et-Loire*, t. II, p. 194.

6. Willelm. Tyr., l. XIV, c. II, p. 608.

7. Michaud, *Hist. des Crois.*, t. II, p. 104.

cent[1], nobis putandum sit Fulconem iter Hierosolymitanum ter suscepisse : anno 1120 primum; post defunctam uxorem iterum ; ad postremum Balduino II° rege rogante. Duo autem itinera tantum historici omnes simul ac Tyrius commemorant. Nihil igitur obstat quominus Tyrio diffidamus, Orderico autem Vitali hæc scribenti credamus : « Fulco Andegavorum comes... de salute sua sollicitus, Deo nihilominus reconciliari peroptavit. Scelerum ergo quæ fecerat, pœnitentiam agere studuit, terraque sua conjugi tenerisque pueris Joffredo et Heliæ commissa, Hierusalem perrexit, ibique militibus Templi associatus, aliquandiu permansit[2]. » Ex his quæ supra attulimus patet Fulconem se Hierusalem, Eremburgi adhuc vivente, et maxime pio illo ardore quem perdiserte depinxit Rodulfus Glaber[3] accensum, contulisse. Comitatui tamen stabiliendo semper serviit : veri enim simile est eum, cum a vassalis pericula rursum intenderentur, domum repetivisse. Doatum castellum, machinis paratis et instructo bellico apparatu, obsidere, anno 1123, conatus est[4]; castrum et Monasterio-

1. *Chr. S. Alb. Andeg.* (*Chr. des Egl. d'Anj.*, p. 33). — *Chr. S. Flor. Salm.* (*Ib.*, p. 190). — *Ex Gest. pontif. Cenom.* (*H. F.*, t. XII, p. 552).

2. Ord. Vit., t. IV, l. XII, c. XXIX, p. 423 : « Scelerum » id est peccatorum.

3. Rodulfus Glaber, éd. Maurice Prou, l. IV, c. VI, p. 606 : « De confluentia populi totius orbis que ad sepulchrum Domini Hierosolimis facta est. »

4. *Chr. S. Alb. Andeg.* (*Chr. des Egl. d'Anj.*, p. 32). — *Chr. S. Flor. Salm.* (*Ib.* p. 190). — *Vita Beati Girardi Monachi Sancti Albini Andegavensis* (*Ib.* p. 122).

lum-Berlai, anno 1124, cepit, diutina per novem hebdomadas obsidione[1]. Pax intra brevissimum tempus fuit ubique reparata; qua sane opus erat Fulconi ad se commode bellis negotiisque in regno Franciæ commissis immiscendum.

III. — Se adeo non intra proprium comitatum comes continuit ut aliquid agere foris studeret. Quis eo tempore rerum status fuerit in regno Franciæ quam paucissimis narremus. Regnabat Ludovicus VI^us^, Philippi filius, ad imperandum « officii jure votivo[2] » cum in regio dominio tum latissime in regno obstinatus. Regis autem divitias atque potestatem aliquot regni proceres propemodum æquabant : in primis Flandrensis scilicet comes, Britanniæ Campaniæque et Alverniæ comites, Burgundiæ et Aquitaniæ duces, quos et potentissimos et egregios et manu magna militari valentes designat passim Sugerius abbas[3]. Præerat Normannico ducatui rex Anglorum Henricus Primus, et, propter ducatum, exstiterat regni Franciæ debitor. Fulconi igitur potentia non cedebant regni optimates, et facile præstabant Francorum Anglorum-

1. *Chr. Turonense* (Martène, *Ampl. Coll.*, t. V, p. 1014). — Willelm. de Nangiaco (*H. F.*, t. XX, p. 727). — *Chr. S. Alb. Andeg.* (*Chr. des Egl. d'Anj.*, p. 32). — *Chr. S. Serg. Andeg.* (*Ib.* p. 144). — *Chr. S. Flor. Salm.* (*Ib.* p. 190).

2. Sug., *Gest. Lud.* (c. XXIII, p. 80) : « Quia fortissima regum dextera, offitii jure votivo, reprimitur tirannorum audacia, quotiens eos guerris lacessiri vident, infinite gratulantur rapere, pauperes confundere, ecclesias destruere, etc. »

3. *Ib.* c. XXVII, pp. 103, 104 ; c. XXVIII, p. 107.

que reges. His præcipue alliciendis Fulco impensam operam dedit. Sed quæ persona fuerit, bellis commissis, dicendum : fidei violator; nihil nisi sua observans commoda; anceps inter Ludovicum et Henricum; huic aut illi, ut quidque expediebat, caduco fœdere junctus.

Anno ab Incarnatione Domini 1117, Ludovico Sexto, ut Henricum de Normannia depelleret, succurrit. Si scripto *de Majoratu et Senescalcia Franciæ*[1] fidere liceret, Senescalciam tunc Fulconi, sicut antea Gosfrido Grisæ Gonellæ, concessam fuisse affirmaremus. Sed quam parvi valeret hoc scriptum jam demonstravere docti[2]. Si verum quæris, Fulconem fatere regi domino debita, legibus regni ita statutis, stipendia tulisse; adventu quippe regis Anglorum nuntiato, barones suos Ludovicus comitem videlicet Flandriæ Balduinum VII^{um} omnesque regni optimates nec non Andegavensem comitem ut se sequerentur, precatus est[3]. Sed Henricus, cum, post Alenciacum castrum a Fulcone captum (1118)[4], amicitias cum eodem jungere vellet, exitum habuit prosperum. Comes, pretio ingenti sollicitatus, Mathildem suam filio

1. *Scriptum Huonis de Cleeriis de Majoratu et Senescalcia Franciæ comitibus Andegavorum collatis* (*Chr. d'Anj.*, p. 387-394).

2. Vide Mabille, *Intr. aux Chr. des comtes d'Anjou*, p. XLIX-LII. — Cf. Luchaire, *Hist. des Inst. Mon. de la Fr. sous les prem. Cap.*, éd. 1883, t. I, p. 176.

3. Sug., *Gest. Lud.*, c. XXV, p. 87.

4. *Ib.* pp. 89, 90. — *Chr. S. Alb. Andeg.* (*Chr. des Egl. d'Anj.*, p. 32).

regis Anglici Willelmo Adelino nuptui tradidit (1119)[1] et a domini regis societate descivit. Quare indignatur Sugerius : « Comes Andegavensis, ait, cum et proprio hominio et multis sacramentis, obsidum etiam multiplicitate regi Ludovico confederatus esset, avaritiam fidelitati preponens, inconsulto rege, perfidia infamatus, filiam suam regis Anglici filio Guilelmo nuptui tradidit et compactas sacramento inimicicias, tali cum eo amicitie conjunctus copula, fraudulenter dissolvit[2]. » Quid vero indignans abbas ad comitem ? Nonne laudibus fœdus præferebat fructuosum ?

Attamen, sequenti anno[3], Willelmus naufragio apud Barbefluvium peribat; quo mortuo Mathildis, ad patrem reversa, in claustro puellarum apud Fontem Ebraudi se concludebat[4] et, post annos novem, erat velo ornata[5]. Parvi pretii hinc fœdus

1. *Chr. de Gest. Cons. Andeg.* (*Chr. d'Anj.*, p. 151). — *Chr. Turonense* (Martène; *Ampl. Coll.*, t. V, p. 1014). — Willelm. Tyr., l. XIV, c. I, p. 607. — Ord. Vit., t. IV, l. XI, c. XLV, p. 306.

2. Sug., *Gest. Lud.*, c. XXV, p. 91.

3. Willelmum vita defunctum anno 1119 testatur Ordericus Vitalis (t. IV, l. XII, c. XXV, pp. 416-418). Verumtamen anno 1120 hanc cladem nonnulla monumenta assignant. Cf. *Chr. S. Alb. Andeg.* (*Chr. des Egl. d'Anj.*, p. 32) ; *Chr. S. Flor. Salm.* (*Ib.* p. 190) ; Malmesburiens. *De Gest. reg. Anglorum*, l. V (*H. F.*, t. XIII, p. 18). Annum haud dicunt Tyrius (l. XIV, c. I, p. 607) nec *Chr. de Gest. Cons. Andeg.* (*Chr. d'Anj.*, p. 152).

4. *Ex Gest. Pontif. Cenom.* (*H. F.*, t. XII, p. 553). — *Ex Willelmi Calculi Gemeticensis Monachi* (*Ib.* p. 581). —Willelm. Tyr., l. XIV, c. I, p. 607.

5. Hoc constat ex sequenti charta in Clypeo nascentis Fontis Ebraudi (t. II, p. 218) edita : « Ego Fulco Junior Ande-

cum Henrico. Quamobrem Fulco in Ludovicum iterum fidelis, Ludovico adversus Alvernensem comitem Willelmum VI^um junctus est pugnanti[1]. Item cum Henricus Alemannorum imperator expeditionem, Anglorum rege incitante, anno 1124, adornavit, studio certandi Fulco gestiit[2]; et, ut Ludovicum hostes, subito metu perterriti, insuperabilem censerent, ipse adjuvit[3]. At quemadmodum comitem Andegavensem a Ludovico jam abalienaverat Henricus Primus, sic ad defectionem, postquam Mathildem suam, Henrici Quinti quondam uxorem, Gosfrido Fulconis filio copulavit, rursus sollicitavit. Et profecto perfecit conata (1127-1129)[4]. Habuit autem societatis præmia præcipue

gavensium comes... ire volens Hierusalem, Conventum Sanctimonialium Fontis Ebraudi expetii. Adfuerunt etiam ibi filii mei Gaufridus et Helias, et filiæ meæ Mathildis et Sibylla, quarum una, id est Mathildis, paulo ante pro Dei amore se velari fecerat.... Acta charta apud Fontem Ebraudi anno ab Incarnat. Dom. 1129 ».

1. Duas adversus Willelmum Alvernensem comitem expeditiones suscepit Ludovicus, alteram anno 1121 (Sug. *Gest. Lud.*, c. XXVIII, pp. 106-108), alteram anno 1126 (*Ib.* pp. 108-110).

2. Sug., *Gest. Lud.*, c. XXVII, p. 104. — *Grandes Chr. de France* (*H. F.*, t. XII, p. 183).

3. Giesebrecht (*Geschichte der deutschen Kaiserzeit*, t. III, p. 947) innumeros apud Ludovicum milites maximo terrori fuisse imperatori contitetur.

4. *Chr. de Gest. Cons. Andeg.* (*Chr. d'Anj.*, p. 151). Anno 1127 vel 1129 matrimonium an fuit contractum? Annum 1127 eliges si chartam compositionis inter Sagiensem episcopum et Majus-Monasterium, hoc anno datam, fides, cui sane subscripsit rex Henricus his verbis : « Signum Henrici Regis qui dedit filiam suam Gaufrido comiti Andegavensi ». (*Ex arch. Majoris Monasterii.*) Item si *Chronico Fiscanensi* (*H. F.*,

Fulco; quo imperante Andegavensis domus magis quam unquam alias prævaluit.

CONCLUSIO

Conferamus igitur in pauca. Comitatum a majoribus acceptum Richini Bertradæque filius non modo stabilire sed et extendere nisus est. Nam et cum bellum gessit adversus vassalos ne hi officio suo deessent, et cum se certamini inter Anglorum Francorumque reges orto immiscuit, cum summa gloria discessit. Viro admodum florenti non est mirandum si rex Hierosolymitanus Balduinus Secundus filiam ducendam cum regni spe obtulit[1].

t. XII, p. 778) aut Willelmo Malmesburiensi (*Historiæ novellæ*, l. I, p. 21, *H. F.*, t. XIII) credes. At cum in Octavis Pentecostes, hujus anni minor esset Gosfridus annis quindecim (natus erat quippe anno 1113, die 24 Augusti) verisimile est Henrici regis verba de sponsalibus Gosfridi et Mathildis intelligenda esse, matrimoniumque non nisi anno 1129 consecutum esse. Nuptialis pactio, nostra quidem sententia, anno 1127 facta est; nuptiæ autem anno 1129 celebratæ. Sic nimirum Henrici suscriptio conciliatur cum unanimi fere scriptorum testimonio ex quo Mathildem Gosfrido copulatam anno 1129 fuisse patet. Vide : *Chr. Tur.* (Martène, *Ampl. Coll.*, t. V, p. 1014); Ord. Vit. (t. IV, l. XII, c. XLVIII, p. 498).

1. *Chr. de Gest. Cons. Andeg.* (*Chr. d'Anj.*, p. 143) : « Gloria et optima fama impar nulli in brevi effectus est. » — *Gest Ambaz. Dom.* (*Ib.*, p. 205) : « Virum magni nominis. » — Wilken, *Gesch. der Kreuz.*, t. II, p. 597 : « Dadurch hatte Fulco sich in Frankreich den Ruhm eines ritterlichen, sehr tapfern, edelmuthigen und frommen Herrn erworben. » — Kugler (*Gesch. der Kreuz.*, p. 117) comitem Andegavensem, fama magnopere adjuvante, in regnum Hierusalem pervenisse significat : « In seiner französischen Heimat hatte er sich unter mancherlei Kämpfen zu einem tapferen und besonnenen Manne entwickelt. »

CAPUT SECUNDUM

De Fulcone in Hierosolymitano principatu agente

I. QUO MODO REGNUM HIEROSOLYMITANUM, SOCERO VOCANTE, ADEPTUS SIT ANDEGAVENSIS COMES. — II. DE CURIA SUPERIORI CUI REX FULCO, QUAMVIS DOMINUS FUERIT, JURE CESSIT. — III. DE AULICIS ET REGINA MILISENDE QUIBUS REX, DE JURE SUO NON DECEDENS, RESTITIT.

I. — Comitem Andegavensem credimus a rege Balduino ipso et tam ecclesiasticis quam secularibus regni principibus rogatum, ut Hierusalem veniret, fuisse. Multis enim indiciis emanat[1] negotium datum Hierosolymitanis nuntiis ut hi

1. Willelm. Tyr., l. XIII, c. XXIV, p. 593 : « Willelmus de Buris, regius constabularius, ad citandum prædictum comitem cum quibusdam aliis nobilibus directus fuerat. » Cf. l. XIV, c. II, p. 608. — *Hist. Comit. Andeg. auctore Thoma Pactio* (*Chr. d'Anj.*, p. 336) : « Regni principes Jerosolimitani, directis nuntiis, Fulconem Andegavensium comitem sollicitaverunt. » — *Ex Gest. Pontif. Cenom.* (*H. F.*, t. XII, p. 552). — *Chr. S. Alb. Andeg.* (*Chr. des Egl. d'Anj.*, p. 33). — Hernolius, c. III, pp. 10, 11 : « Li rois (Baudoin II) prist consel à ses hommes u il poroit sa fille marier ; qu'il le vorroit donner à tel homme, qui le règne puist gouverner apriès lui. Les consaus li aporta que il avoit un haut homme en Anjo, qui quens estoit, et avoit à non Foukes. Li rois, par le consel de ses hommes, le manda et se li donna sa fille. » Mar. San., *Lib. Secret. Fidel. Crucis*, l. III, p. VI, c. XIV, p. 161 (ap. Bong., t. II).

Fulconem, non quemvis unum, ad regnum invitarent. Aliquot autem auctores dicunt Fulconem non a Balduino sed a nuntiis, postquam Franciam hi attigerint et Ludovicus simul atque episcopi proceresque assenserint, non modo pertentatum fuisse sed et electum[1].

Profecto comitem decebat poscere licentiam eundi a Francorum rege et ab hominibus suis, cum ille in universo regno dominus exstaret, hi de Andegavensi comitatu stabiliendo laborarent. Ne ideo tamen certum putes Fulconem a Ludovico esse designatum. Balduino acceptissimus, ut mea fert opinio, Fulco erat, cum in regno Franciæ non solum per se ipse valeret sed etiam, filio collocata Anglici regis filia, potentia ejus firmaretur. Mihi in opinionem, quamvis de his taceant auctores, venit Balduinum hoc speravisse ut gentes occidentales ad christiani regni rationes adstrictius, prædicto viro vocato, adjungeret.

Legatis annuens comes Gosfrido suo honorem reliquit[2], Hierusalem iturus; sed jam papæ Honorii IIi laudibus quod, postposito baronum et populi dominio, servire Deo decrevisset, ornatus fuerat[3]. Mari transito, Milisendi matrimonio est

1. *Chr. de Gest. Cons. Andeg.* (*Chr. d'Anj.*, p. 152). — Joannes Monachus, *Historia Gaufredi* (*Ib.* p. 238). — *Gest. Ambaz. Dom.* (*Ib.*, p. 205).

2. *Hist. Comit. Andeg. auctore Thoma Pactio* (*Chr. d'Anj.*, p. 336). — *Chr. S. Alb. Andeg.* (*Chr. des Egl. d'Anj.*, p. 33). — *Chr. S. Serg. Andeg.* (*Ib.* p. 144). — *Chr. Tur.* (Martène, *Ampl. Coll.*, t. V, p. 1014). — Bodin, *Recherches historiques sur le Haut Anjou*, t. I, pp. 251-257.

3. *Cart. S. Sep.* no 15, pp. 17, 18, Privilegium Honorii IIi papæ.

copulatus[1] et a Willelmo Hierosolymorum patriarcha, postquam Balduinus II^us e vivis anno 1131[2] excessit, solemniter coronatus et consecratus[3]. Hoc illud indicium est temporibus illis in eo fuisse Hierosolymitanos reges ut hereditaria potestate uterentur. Nam magnates, qui Gothofredum, Balduinum I^um ac Balduinum II^um reges sibi antea creaverant[4], jus hereditarium Milisendis jam tum professi sunt. Qui quidem jure suffragii non omnino erant prohibiti cum Balduinus « *de communi universorum principum consilio* »[5] comitem ad regni successionem invitavisset; ve-

1. Anno 1129. *Chr. S. Alb. Andeg.* (*Chr. des Egl. d'Anj.*, p. 33). — *Chr. S. Flor. Salm.* (*Ib.* p. 191). — Willelm. Tyr., l. XIII, c. XXIV, p. 595.

2. Hunc quidem annum indicant auctores locupletiores : Willelm. Tyr. (l. XIII, c. XXVIII, p. 602 ; l. XIV, c. II, p. 608) ; *Chr. S. Alb. Andeg.* (*Chr. des Egl. d'Anj.*, p. 33) ; *Chr. S. Flor. Salm.* (*Ib.* p. 191) ; Willelm. de Nangiaco (*H. F.*, t. XX, p. 729). Errant sane cum Balduinum defunctum anno 1128 Turonensis Chronographus (Martène, *Ampl. Coll.*, t. V, p. 1014) et anno 1130 Ord. Vitalis (t. IV, l. XII, c. XLVIII, p. 500) docent.

3. Vivente adhuc Balduino duas civitates, Tyrum scilicet et Ptolomaïdem acceperat Fulco, sed comes continuo vocatus fuerat, regi adstiterat, et, si quidquam credis Orderico Vitali (t. IV, l. XII, c. XLVIII, p. 499) diadema a socero oblatum recusaverat. De his vide : Willelm. Tyr., l. XIII, c. XXIV, p. 593 ; l. XIV, c. II, pp. 608, 609 ; Mar. San., l. III, p. VI, c. XIV, pp. 161, 162. Etenim Fulco testis est, ut comes, donationis a rege Balduino II° et alterius a Willelmo Tyrensi archiepiscopo concessæ (*Cart. S. Sep.*, n° 43, pp. 80, 81 ; n° 67, pp. 138, 139).

4. Vide *Hist. des Inst. Mon. dans le roy. lat. de Jer.*, c. II, Nature et Caractères essentiels de la Royauté, pp. 108 et sq.

5. Willelm. Tyr., l. XIV, c. II, p. 608.

rumtamen Fulconem ea tantum mente elegerunt ut virum illi mulieri, quæ a patre hereditatem capiebat, darent. Regnum igitur tenebat Fulco minus magnatium suffragio quam uxoris munere; vel ea fides sit quod nullam chartam, nisi annuente regina Milisende, subscribere potuit[1].

II. — Rex effectus, Fulco ea necessitate constrictus est ut regni consuetudines servaret et instituta. Non licebat eum regnare more Francorum regum qui jus vassalorum magis et magis præcipiebant sed Gothofredi vel Balduini more qui optimatum privilegia nunquam imminuerant.

Conventus, quem Corpus Legum Hierosolymitanorum *Curiam superiorem* appellat, rerum regimen summum tenebat, cum ejus arbitrio omnia gubernarentur. Hæc jam a nobis alias demonstrata fuere[2]. Sed quanta auctoritate ille conventus prævaluerit nunc intelliges si quid, regnante Fulcone, egerit consideraveris.

De nulla re quam non prius ad Curiam retulisset rex statuit. Procerum enim sententiis dedidit conjurationis noxios nedum ipse suam injuriam vindicaret. Hugo, comes Joppensis, et Romanus de Podio, illius quæ est trans Jordanem regionis dominus, postquam de interficiendo Fulcone conjuraverunt, ad judicium Curiæ, non regis, sunt vocati. Accusa-

1. Vide *Hist. des Inst. Mon. dans le roy. lat. de Jér.*, c. II, p. 122 et n. 3.

2. *Hist. des Inst. Mon. dans le roy. lat. de Jér.*, c. II, pp. 160 et sq.

toris nomen sustinuit Galterus quidam Cæsariensis, quem Hugonis privignum esse docet Tyrius[1]; Curia vero, Cæsariensi audito, comitem, quod hic cum accusatore ferrum conferre noluisset, condemnavit. Rex, licet ad eum pertineret reum condemnari, liti neque acrius neque potentius quam ceteri judices se immiscuisse videtur. Credit quidem Tyrius Galterum a rege subornatum; nihilominus sententiam ab universis proceribus non a rege dictam refert. Hoc modo Hugo et Romanus de Podio fuerunt de terra et honore dejecti[2]. Adeo non Fulco summus judex erat ut, post Hugonem malitiose vulneratum, Curiam sine ulla mora convocaret, non solum ad sicarium puniendum sed etiam ad se manifestis indiciis innocentem constituendum. Quid enim? Dum Hugo Hierusalem moram faciebat, transitum exspectans, a Britanno milite quodam fuit perfide petitus et multis vulneribus affectus. Militem rex, cum horreret, in jus optimatum traxit : « Convocata igitur Curia, de communi consensu, prædictus sicarius, mutilationis membrorum judicatur subire discrimen. Quod postquam regi nuntiatium est, executioni præcipit mandari sententiam[3]. » His verbis Tyrii

1. Willelm. Tyr, l. XIV, c. XVI, p. 629.

2. Willelm. Tyr., l. XV, c. XXI, p. 692 : « Quidam nobilis homo, Paganus nomine,... habuit terram trans Jordanem, postquam Romanus de Podio et filius ejus Radulfus, meritis suis exigentibus, ab ea facti sunt exheredes et alieni. » Vide Du Cange, *Fam. d'Outre-Mer*, pp. 401, 402.

3. Willelm. Tyr., l. XIV, c. XVIII, pp. 631, 632. — De contentione inter Hugonem et regem orta vide : Michaud, *Hist. des*

nihil clarius : judicium Curia pronuntiat, exsequitur rex.

Se Curiæ imperio majori non modo actionem exerciturus sed de omni re decreturus Fulco subjecit. Ex quo Curiam, sicut a nobis prædictum[1], perspicuum est haud minus administravisse quam judicavisse. Nam, ad tria exempla sumenda, rex ad Tripolitanos simul atque Antiochenos tuendos sollicitatus Curiam quid in his difficultatibus fieri oporteret rogavit[2]. Item cum Damasceni Sanguino[3] obsistentes a Hierosolymitano rege auxilium et consilium petierunt eique urbem Paneadensem, pro dato auxilio consilioque, se tradituros esse spoponderunt, Fulco Curiam advocavit antequam responderet. « His auditis, ait Tyrius, dominus rex convocans universos regni principes, legationis modum et verborum seriem eis diligentius aperit; consilium postulat, quid eis super hujusmodi petitionibus respondendum videatur[4].»

Crois., t. II, p. 111 et sq.; Wilken, *Gesch. der Kreuz.*, t. II, pp. 607-612; Kugler, *Gesch. der Kreuz.*, pp. 117, 118.

1. *Hist. des Inst. Mon. dans le roy. lat. de Jér.*, c. V, p. 293 : « La Haute Cour était non-seulement le tribunal ordinaire et particulier de la noblesse mais encore le conseil politique du royaume. »

2. Haud aliter hæc apud Tyrium verba interpretamur : « Habita itaque deliberatione, quid in tam ancipiti facto fieri oporteret » (l. XIV, c. XXV, p. 643).

3. Hic Halapiæ soldanus nomine proprio Imad'eddin-Zengui appellabatur; Sanguinum autem vocant historici latini. De Sanguino vide inferius, cap. tertium, et cap. quartum.

4. Willelm. Tyr., l. XV, c. VII, p. 669. Cf. Mar. San., l. III, p. VI, c. XVII, p. 164 : « Consilio baronum, ait Sanutus, promittit auxilium.. »

Denique Fulco, cum a Constantinopolitano imperatore Joanne ut se Hierusalem intrare sineret est efflagitatus, consilium habuit[1].

Quantum Curia in regno regendo potuerit, vides. Quemadmodum rex Fulco nullam causam, nisi Curiam prius consuluerat, dijudicavit, sic consilia ejus facile semper audiit. Suasit Curia regi ut prius Tripolitanis, dehinc autem Antiochenis succureret[2]; Damascenis opem ferret[3]; imperatorem cum frequentissimo exercitu venturum semoveret[4]. Ita a Fulcone factum.

III. — Regis familiares et aulici nihil contra procerum voluntatem facere poterant. Nunquam Fulco sui comitatus consilia interposuit Curiæ superioris consiliis. Familiares enim, ministris qui privilegiorum a rege datorum testes existebant exceptis, dolos quidem malasque artes componebant sed in administrandi regni consortio non erant. Aulam non ante Fulconis tempus, ut credit

1. Willelm. Tyr., l. XV, c. XXI, p. 691.

2. *Ib.* l. XIV, c. XXV, p. 643 : « Placuit universis ut prius Christianis in vicino castro vallatis, ministretur auxilium, quod satis leve videbatur ; dehinc omnes unanimiter Antiochenis subventuri, progrediantur. Conjunctis igitur adinvicem, tam domini regis quam comitis viribus, et robore collocato, hostibus obviam... progredi nituntur. »

3. *Ib.* l. XV, c. VII, p. 669 : « Tandemque communicato adinvicem consilio, et deliberationis provido libramine, partibus pensatis, optimum judicant... Damascenis... opem esse ferendam. » Cf. c. VIII : « Approbato ergo generali consilio, etc. »

4. *Ib.* l. XV, c. XXI, p. 691 : « Rex autem, habito consilio, ad ejus petitionem responsa ferentes nuntios remittit. »

Fr. Monnier[1], constitutam fuisse adduci ad suspicandum nullo modo possumus, cum jam regnantibus Balduino I° ac Balduino II° regalem comitatum inveniamus[2]. Profecto autem Fulco, qui in regiam domum Ludovici VI[i] frequens venerat, suam domum Hierusalem quam amplissime ordinare nisus est : ad se accivit non modo ministros, Heliam videlicet cancellarium[3], Sadonem marescalcum[4], Joannem[5] Milonemque[6] ac Goscelinum[7] camerarios, Paganum pincernam[8], sed etiam quosdam alios adeo numero prævalentes ut e contrariis studiis multæ jam factiones eorum fierent. Nam aulici, postquam Hugo comes Jop-

1. Fr. Monnier, *Godefroy de Bouillon et les Ass. de Jer.*, p. 60.

2. Vide *Hist. des Inst. Mon. dans le roy. lat. de Jér.*, c. II, pp. 155, 156.

3. Multa reperimus privilegia per manum Heliæ, regis Hierosolymitani cancellarii, data (*Cart. S. Sep.*, n° 31, pp. 57, 58 ; n° 32, pp. 58-60 ; n° 33, pp. 60-65. — Paoli, *Codice diplomatico del sacro militare ordine Gerosolimitano*, t. V, n° 17, pp. 18, 19).

4. *Cart. S. Sep.*, n° 31, pp. 57, 58 ; n° 33, pp. 60-65. — *Cod. Dipl.*, t. I, n° 17, p. 18.

5. *Cart. S. Sep.*, n° 31, pp. 57, 58 ; n° 32, pp. 58, 60. — *Cod. Dipl.*, t. I, n° 17, p. 18.

6. *Cart. S. Sep.*, n° 33, pp. 60-65.

7. *Cart. S. Sep.*, n° 31, pp. 57, 58. Cujus quippe privilegii testes sunt Goscelinus et Joannes, uterque camerarius (anno ab Incarn. Dom. MCXXXVIII). Sane fieri non potest eos simul regni camerarios fuisse ; sed cur non regis simul ? Vide Du Cange, *Fam. d'Outre-Mer*, p. 630.

8. *Cod. Dipl.*, t. I, n° 17, p. 18. — Cf. Willelm. Tyr. qui Paganum « regium pincernam » appellat (l. XV, c. XXI, p. 692).

pensis, maturata quidem morte intercipiendus, exsilio mulctatus est, discordias inter se severunt, alii pro Milisendis reginæ, alii pro regis partibus stantes. Comitis causam susceperat regina, absentique, perinde ac si ejus maritum non insidiis petivisset immo a morte eripuisset, toto pectore, animo toto indulgebat. Regis autem odium exsaturari non poterat. Eo acrimoniæ utraque pars est progressa ut altera alterius perniciem moliretur. Nam quicumque a comite regis voluntatem abalienare conati erant in reginæ odium inciderunt pertinax; maxime autem Roardo seniori ne quid sibi mali adveniret fuit cavendum; regi vel ipsi nullum inter reginæ fautores consanguineosque tutum omnino fuisse locum fatetur Tyrius. Quicumque vero faverant comiti offenderunt apud regem donec, quibusdam intercedentibus, gratiæ reconciliatio facta fuit[1].

Attamen noli credere Fulconem nihil sine uxoris assensu abhinc instituisse. Potestatem Milisendis pleniorem atque præstantiorem quam in re fuit Tyrius perscribit[2]; a Tyrio tradita dicit iterum Kugler[3]; et nihil est quod, historico Michaud assentientes[4], Fulconi laudem meritam detra-

1. Willelm. Tyr., l. XIV, c. XVIII, p. 633.

2. *Ib.* l. XIV, c. XVIII, p. 633 : « Rex autem ab ea die ita factus est uxorius, ut ejus quam prius exacerbaverat, mitigaret indignationem, quod nec in causis levibus, absque ejus conscientia attentaret aliquatenus procedere. »

3. Kugler, *Gesch. der Kreuz.*, p. 118.

4. Michaud, *Hist. des Crois.*, t. II, p. 119 : « Dans les dernières années de sa vie il n'avait plus assez de force et

hamus. Nam ex his quæ superius monstravimus et quæ inferius dicemus patet virum et impigrum et fortem nec muliebri imperio subditum fuisse.

Non sequitur Milisendem minime turbulentam fuisse. Domesticorum enim certaminum, quæ supra narravimus, noxia est; patefaciunt igitur certamina qua indole Fulconis uxor fuerit. Inconsulte regina agebat, nedum eximiis et virtutis et prudentiæ præstaret laudibus. Profecto non eo licentiæ prolabebatur Hierosolymitana regina quo Alienordis quæ cupiditatibus libidinibusque perinde ac si summæ virtutes essent se totam dedebat[1]; nec tamen omnino integra. Hoc quidem e Tyrii opere et Sancti Bernardi, abbatis Clarevallis,

d'activité pour être le chef d'un royaume entouré d'ennemis. Aussi s'occupa-t-il plus de bâtir des forteresses que de rassembler des armées, et de défendre ses frontières que de faire de nouvelles conquêtes. Sous son règne l'esprit militaire des Chrétiens parut s'affaiblir et fut remplacé par l'esprit de discorde qui amena des calamités plus grandes que celles de la guerre. »

1. Quidam Alienordis causam, nostra quidem ætate, dixerunt : Besly videlicet (*Hist. des comtes de Poitou et ducs de Guyenne*, in-fol., 1647), Isaac de Larrey (*L'héritière de Guyenne*, in-12, 1691), Daniel (*Hist. de France*, 17 vol. in-4, 1755), Arcère (*Hist. de La Rochelle*, 2 vol. in-4, 1756), Dreux du Radier (*Mémoires historiques, critiques et anecdotes des reines et régentes de France*, 6 vol. in-12, 1763), Sismondi (*Hist. des Français*, 31 vol. in-8, 1821-1844) ac denique L. de Villepreux (*Eléonore de Guyenne, étude biographique*, 1862) sed impares in testimoniis disertissimis necnon gravissimis Tyrii et Elinandi infirmandis. Ille injurias bis memorat quas Alienordis irrogavit conjugi (l. XVI, c. XXVII, p. 753 : « Thori conjugalis fidem oblita » ; l. XVII, c. VIII, p. 771). Hic Tyrio et durior : « Hanc, ait, reliquit rex Ludovicus propter incontinentiam ipsius mulieris, quæ non ut regina se habebat, sed

epistolis intelligi potest. Tyrius Milisendem illicito amore Hugonis Joppensis flagravisse credit : « Dicebatur a nonnullis, ait, quod dominus rex suspectum nimis haberet comitem, nec cum domina regina familiaria nimis misceret colloquia ; cujus rei multa videbantur exstare argumenta[1]. » Nec minora exprimit dicens : « Quidam vero verbum hujusmodi palliare volentes, dicebant id solum odiorum fuisse fomitem, quod comes quasi arrogans, et de se plus æquo præsumens, domino regi nolebat, more aliorum regni principum, subjici ; et ejus detrectabat cervicose nimis imperiis obedire[2]. » Ergo, qua de causa Milisendis regina comiti condemnato, ut supra diximus, faverit, intelligis : amata viri lugebat exsilium amati. Adde huc quod S. Bernardus ne reginæ fama in dubium veniret ullo sine intermissu timuisse videtur ; nam quamvis restrictissime dixerit, haud ambigua disseruit. Seu reginam ut « carnis voluptatem » caveret monuit[3], seu suo Andreæ Templi militi

fere se communem exhibebat » (*H. F.*, t. XIII, p. 703). Pravitate alioquin erat apud Alemannos Ludovici uxor infamis ; vide enim *Des Minnesangs Frühling* (éd. Lachmann et Haupt, Lipsiæ, 1857, p. 3). Cf. Tamizey de Larroque, *Observations sur l'Hist. d'Eléonore de Guy.* (Paris, Aug. Durand, 1864).

1. Willelm. Tyr., l. XIV, c. XV, p. 628.

2. *Ibidem.*

3. Sancti Bernardi *opera*, éd. Mabillon, t. I, col. 195, epist. CCVI, anno MCXL : « De cetero cavete ne voluptas carnis et gloria temporalis impediant vobis iter regni cœlestis. Nam quid prodest paucis diebus regnare super terram, et regno cœlorum æterno privari ? Sed confido in Domino quod melius facietis ; et si verum est testimonium

scripsit abbas[1], Milisendem testatus est non a reprehensione abfuisse. Id quidem principibus turpe, quorum vestigiis mos est insistere aulicos et aulicorum ceteros subjectos. Lasciviorem igitur fuisse regalem domum dicas oportet[2].

Noli tamen putare Milisendem regisque familiares nihil in regno curando valuisse. Peccata non tacere, verum bona dicere decet. Reginam rex quieti pauperum necnon miserorum providens sociam comitemque habuit. Non modo Fulconis sed Milisendis etiam precibus, Cæcilia, Tripolitana comitissa, eleemosynas cum façere statuit utiles, cessit[3]. Favit Milisendis misericordi in leprosos regi, misericors et ipsa[4]. Innumeros quos ei

quod de vobis perhibet carissimus avunculus meus Andreas, cui multum credimus, et hic, et in æternum Deo miserante regnabitis. » Item post Fulconem defunctum abbas ad viduam hæc scripsit, col. 278, ép. CCLXXXIX, anno MCLIII : « Audivimus, fateor, nescio quæ sinistra : quæ etsi non pro certo credidimus, doluimus tamen sive veritate, sive mendacio tuam aliquatenus decolorari opinionem. Sane intervenit Andreas carissimus avunculus meus, cui in nullo decredere possumus, scripto suo nobis significans meliora. »

1. *Ib.* t. I, col. 277, epist. CCLXXXVIII, anno MCLIII : « Reginæ scripsi, sicut voluisti, et gaudeo de bono testimonio quod ei perhibes. »

2. Prutz (*Kulturgesch. der Kreuz.*, l. II, pp. 124-127) describit lasciviam Christianorum in Orientis partibus viventium.

3. *Cart. S. Sep.*, nº 92, p. 183. Concessit Cæcilia « rogata a rege Iherosolimorum Fulcone et a regina Milisende » ut coquerent, quicumque vellent, in furno quem canonici Sancti Sepulcri apud Montem Peregrinum habebant.

4. Cibrario, *Dei Tempieri e della abolizione degli ordini equestri di S. Lazzaro, di S. Maurizio e dell' Annunziata* (1868), Firenze-Torino, p. 223, ap. Röhricht, *Regesta Regni Hierosolymitani* (1893), p. 57.

diligentissime commendabat S. Bernardus in fidem suam recepit peregrinos[1]. Illa igitur instituta hospitalia, quæ Petrus de Bosco post annos centum et quinquaginta restituenda suasit[2], Milisendis simul ac Fulco condidisse videtur. Itaque nemo, regnante Fulcone, jure questus esset Palæstinam inhospitalem esse.

CONCLUSIO

Hoc igitur in aperto est : Fulco, quamvis nullum nisi uxore annuente privilegium dederit, nec de ulla re nisi assentiente procerum conventu judicaverit aut decreverit, principatum feliciter regere et homines factiosos arcere valuit. Discordiis intervenit aulicorum ; discordes coegit ad pacem componendam. Eo magis concordia opus erat quod non tantum principatui sed et universo regno administrando et stabiliendo princeps præerat Hierosolymitanus.

Nobis ideo quas res cum Antiochenis Edessanisque ac Tripolitanis principibus Fulco contraxerit jam considerandum.

1. Sancti Bernardi *opera*, éd. Mabillon, t. I, col. 195, epist. CCVI, anno MCXL : « Audierunt homines quod locum gratiæ habeam apud vos ; et multi profecturi Jerosolymam petunt se vestræ excellentiæ per me commendari. Ex quibus est iste juvenis consanguineus meus, juvenis, ut aiunt, strenuus in armis, suavis in moribus.... Itaque facite morem vestrum, et bene sit huic propter me ; sicut ceteris omnibus propinquis meis fuit, qui per me vobis innotescere potuerunt. » Cf. col. 321, epist. CCCLV, anno MCXLII : « Videtis quantum præsumam de vobis, cui audeo et alios commendare. »

2. Petrus de Bosco, *De Recuperatione Terre Sancte* (éd. Ch.-V. Langlois, 1891) c. 20, p. 16.

CAPUT TERTIUM

De Fulcone in Antiochenorum Tripolitanorumque et Edessanorum partibus agente

I. QUID EGERIT IN ANTIOCHENORUM PRINCIPATU. — II. QUID EGERIT IN TRIPOLITANORUM EDESSANORUMQUE COMITATIBUS.

I. — Se regio officio adstrictum Fulco arbitrabatur ut magnorum regni principum rebus consuleret; principes autem regi inservire atque ad opem ei semper et ubique ferendam paratissimos esse volebat jubebatque. Minime necesse erat eum a principibus vel eorum vassalis invitari; suo quidem privato consilio, cum universi regni dominus existeret, ipse aderat. Quin etiam ego adducor, postquam chronica diligenter perlegi, ut regem credam, vassalis vel invitis, jure intervenisse.

Qua de re haud ambigetur si quis observaverit quid in Antiochenorum principatu, Fulcone regnante, acciderit. Simul ut Hierosolymitanum regnum hic adeptus est, Antiochenos intestinis discordiis turbatos audivit. Nam post Boamundum II^{um} Juniorem in Cilicia circa Mamistram a Sanguini militibus occisum, Halis vidua Antiochiam sibi, exheredata filia Constantia, in perpetuum vindicaverat. Eo impudentiæ processerat ut Sanguini opem efflagitavisset; sed cum Hali rebelli pater

Balduinus II^us^ restitisset, omnia contra ejus spem evenerant[1].

Defuncto tamen patre, Halis occasionem sibi oblatam existimavit optata adipiscendi : Pontium igitur comitem Tripolitanum et Joscelinum Juniorem Edessanum comitem in suas partes traxit. Si Fulco, regio nomine, Hierosolymitanæ tantum, non longinquiori etiam regioni præfuisset, nemo Antiochenorum, hac in re, eum vocavisset adjutorem, nec se ipse cuiquam talem præbuisset. Audita autem magnatium legatione qui in Boamundi filiæ fide permanserant, non dubitavit qua ratione sibi agendum esset. Reprehendit Halim quod omne jus violavisset; Tripolitanorum Edessanorumque comites quod Hali injuste facienti favissent; his et illi obviam ivit. Major pars vassalorum de rebus Antiochenorum decidere, præterito rege, manifesto cupiebat. Minoris vero rex causam suscepit; et Antiochiam, plerisque invitis, accurrit. Quamobrem non multum abest quin Hierosolymitanum regem arbitremur, etsi nemo eum ex principatibus advocavisset, suo tamen proprio jure, quia rex

1. Willelm. Tyr., l. XIII, c. XXVII, pp. 598, 599, 600. — Vide etiam Kemal-eddîn, *Halap. Chr.* (*Hist. Orient.*, t. III, p. 660, 661) ; sed cave ne illi qui hæc chronica edidit assentias, nam in errorem raptus fuit cum ita pronuntiavit : « Kemal-eddîn n'avait recueilli que d'assez vagues renseignements sur la révolte de la princesse Alix, fille de Baudoin II ; c'est ainsi qu'il confond ce prince mort depuis plusieurs mois avec Foulque qui rétablit l'ordre dans Antioche » (t. III, p. 661). Balduinus primum et Fulco iterum Antiochiam in tranquillum redegerunt; quorum quidem ab utroque res gestas refert Tyrius (l. XIII, c. XXVII, p. 598; l. XIV, cc. IV, V, pp. 611 et sq.).

esset, Latinorum negotiis intervenisse. Iter a Fulcone habitum refert Tyrius. Comitem Tripolitanum regi terra sua interdicentem; victum a rege pugna ad Rugiam; Antiochenos denique a victore petentes ut longiorem moram apud se faceret memorat enodate episcopus (1131)[1]. Quid vero vassalis rex vel quid regi vassali debuerint non dilucidius simul ac brevius quam his ejusdem Tyrii verbis significari potest : « Rex considerans... regnum suum in tuto collocatum, plena tranquillitate gaudere, et eam in qua erat, rectoris plurimum indigere patrocinio regionem, benigne annuit; et tam urbem quam adjacentia communi procerum consilio congruo moderamine disponens, quantam rebus propriis et exactam magis, ut ad optimum statum cuncta proveheret, impendebat sollicitudinem. Unde omnium gratiam civium et etiam principum, qui in fidelitatis perseverabant debito, sibi comparaverat cumulatiorem[2]. » Quid igitur ex his intelligendum ? Antiocheni gratiam Fulconi habebant quod officium regis exsecutus esset; seque fidem præstituros et rectori a rege antequam in regnum reverteretur constituto[3] obedituros esse pollicebantur. Jamque interpretari licet quid Ordericus Vitalis de Balduini genero significaverit his verbis : « Regnum Hierusalem et principatum

1. Willelm. Tyr., l. XIV, c. V, pp. 612, 613.

2. *Ib*. p. 613.

3. Quem Tyrius Rainaldum, cognamento Mansuer, fuisse docet (*Ib*. p. 614).

Antiochiæ, quæ famosissimi bellatores vix obtinuerant, facile possedit[1]. »

Si quis, ea pernoscendi cupidus de quibus hoc loco quæritur, res posterius a Fulcone actas perspiciet, quanta potentia rex Hierosolymitanus in principum regionibus valuerit, videbit. Antiochenos enim, cum eorum partes anno 1132 magna Turcorum manus ex improviso invasit, tueri, tanquam proprios homines, suscepit[2]; et ad civitatem metu jam perturbatam maturatis perrexit itineribus. Eo postquam rex pervenit, defuncti principis Boamundi partes suscepit; et, ut accommodatius ad veritatem dicamus, ipse, perinde ac si princeps esset, militares copias ex omni principatu, sicut antea ex proprio regno universo, convocavit, hostesque debellavit ad Harenc[3]. Tum Antiochiam reversus Fulco principatus negotia *pro libero arbitrio*, ut ait Tyrius, disposuit[4]. Etenim chartas reperias quibus rex Hierosolymitanus privilegia ut *rector ac baïulus principatus Antiocheni*[5], vel *baïulus et tutor*[6] concedit donaque

1. Ord. Vit., t. IV, l. XII, c. XLVIII, p. 499.

2. Willelm. Tyr., l. XIV, c. VI, p. 614 : « De statu sibi commissi principatus, et salute in eo degentium, plurimum anxius. »

3. *Ib.* c. VII, p. 616.

4. *Ib.* c. IX, p. 618 : « Antiochiæ principatus pro libero arbitrio disponens negotia, clarus habebatur admodum, duorum regnorum moderamina, divina provisione sortitus et in utroque prosperis affluens, populum cum plena tranquillitate tuebatur. »

5. *Cart. S. Sep.*, n° 85, pp. 165, 166, ann. 1133.

6. *Ib.* n° 86, pp. 166, 167, ann. 1135.

confirmat. Cujus superius imperium adeo conservabant magnates ut Boamundi filiam Raimundo Pictavensium comitis filio non, nisi ex Fulconis sententia, nuptui collocarent[1]. Ex eo tempore Hali, quæ principatum nequidquam appetierat, Fulco regio jure usus præstitit.

Attamen eamdem Tyrius inferius monstrat Antiochenis, conscio rege, imperantem. Tum quærandum esse videtur num Fulco a suo jure, post victoriam reportatam, abierit Antiochenosque Halis potestati voluntate subito mutatus permiserit. Verba episcopi ipsa ponamus : « Porro modico ante tempore, postquam tamen prædicti missi fuerant, ut dominum Raimundum citarent, Aaliza principissa domini Boamundi vidua... interveniente apud regem sorore sua, ne actibus ejus obviaret, quorumdam procerum fulta patrocinio, iterum Antiochiam ingressa est, pro domina se gerens; et universa ad suam revocabat sollicitudinem[2].» Nullum verum id argumentum est; similitudine veri historicus, cum hæc narrat, captus esse videtur. Etenim non ignorabat Fulco Raimundum haud moraturum quin veniret et artificia a vidua Boamundi composita labefactaret. Ac revera Halis conatibus non, sicut asserit Tyrius, obviam ivit; sed quia conatus innoxios futuros esse censebat, non quia eis assentiebat. Quamobrem nil a Fulcone tentatum, si ipsius

1. Willelm. Tyr., l. XIV, c. IX, p. 618. Scribit et Marinus Sanutus Raimundum *Fulconis consilio* ad Constantiæ nuptias principatusque fastigium invitatum fuisse (l. III, p. VI, c. XV, p. 163). — Cf. Math. Par., ann. 1132.

2. Willelm. Tyr., l. XIV, c. XX, p. 636.

Tyrii librum legeris, Raimundi removendi causa reperies. Quem quidem rex removisset si Halis amicus non specie tantum sed etiam re factus esset. Approbante contra Hierosolymitano rege Boamundi filiam Raimundus uxorem duxit[1]. Ex eo tempore pacem Antiochenorum principatus gessit.

II. — Nimis breviter historici commemoraverunt quas res cum Tripolitanorum Edessanorumque comitibus Fulco egerit. Quare de his quod veloci scribo calamo non mea culpa est; et spero me non in cujusquam vituperationem casurum. Tripolitanis Edessanisque non modo tuendis sed et in fide retinendis curam non minorem quam Antiochenis rex adhibuit. Pontio enim Tripolitano, ne christiani regni pars ulla in alienam ditionem veniret, succurrit; comitemque in præsidio quodam, cui Mons-Ferrandus nomen, obsessum liberavit[2]. Pontii filio, Raimundo scilicet, paulo post, cum Montem-Ferrandum iterum obsiderent Turci, auxilium, irritum cuidem ut inferius dicetur[3], præbuit[4]. Item mihi non est dubium quin Edessano

1. Willelm. Tyr.. l. XIV, c. XX, p. 637.

2. *Ib.* c. VI, pp. 614, 615 : « Ecce soror ejus (id est Fulconis) domina Cecilia, comitissa, Pontii Tripolitani comitis uxor, flebilia nunciat, dicens : Sanguinum... in præsidio quodam suo, cui Mons-Ferrandus nomen, maritum suum obsedisse.... Cujus nimia rex motus instantia... illuc dirigit acies.... Audiens igitur Sanguinus dominum regem ad solvendam obsidionem properare, habito cum suis consilio, quid utilius videretur, obsidionem gratis solvit. » Vide inferius, cap. quartum.

3. Vide inferius, cap. quartum.

4. Willelm. Tyr., l. XIV, c. XXV, p. 643 : « Comes Tripoli-

comiti Joscelino, si opus fuisset, auxiliatus esset. Illius autem Fulconis tempore, res bene cesserunt. Equidem Tyrius docet Joscelinum in magna pericula, jam inde a principio Fulconis regni, incidisse: Iconiensis soldanus, Masoud scilicet, castrum nomine Cressum circumvallaverat; comitis filius soldanum, cum pavesceret, adoriri noluerat; et comes morbo affectus, immo moribundus, latus in lectica, hostibus occurrerat eosque repulerat[1]. At postea Joscelinus Junior prosperas res, licet illustri patre indignus[2], quoad vixit Fulco, habuit[3]. Quemadmodum autem Fulco Tripolitanis Edessanisque auxilium præbebat vel auxiliari paratissimus semper erat, sic regi domino parere eos volebat. Nihil antiquius habuit quam perfidiam Pontii comitis vindicare; nec prius in gratiam eum accepit quam apud Rugiam lacessivit vicitque[4]. Denique Edessanorum Tripolitanorumque comites simul atque Antiochenorum principem ad se servandum properare jussit quotiescumque periclitatus est[5].

tanus Raimundus missis sub omni celeritate nuntiis, dominum regem profusis anxie precibus rogat, ut in tanta necessitate, rebus pene desperatis non moretur subvenire, sed opem laturus accederet. » Cujus precibus annuentem regem monstrat historicus et ad Tripolitanos citato cursu tendentem.

1. Willelm. Tyr., l. XIV, c. III, pp. 609, 610.

2. *Ib.* p. 610 : « A paterna gloria degener plurimum. »

3. Vide inferius, cap. quintum, qua de causa Edessam anno tantum 1144, post Fulconem defunctum, captum acceperimus.

4. De Pontii perfidia qui, cum rebellis Halis partes teneret, Fulconi terra sua interdixerat vide superius, pp. 34, 35.

5. Anno 1137 Antiochenus princeps Raimundus et Edessa-

CONCLUSIO

Ex his liquet magnos regni principes regemque Hierosolymitanum fidelitatis nodis junctos fuisse. Rex non tantum in Hierosolymitano principatu princeps sed et in universo regno dominus erat. Omnibus igitur universi regni viribus et copiis in externos hostes Fulco incubuit.

nus comes, Joscelinus Junior, ad auxilium ferendum Fulconi quem Sanguinus in Monte-Ferrando obsederat convenerunt (Willelm. Tyr., l. XIV, c. XXVI, p. 145). — Anno 1138 Tripolitanus comes Raimundus et Antiochenus princeps Raimundus Hierosolymitano exercitui adjuncti fuerunt (*Ib.* l. XV, cc. IX, X, pp. 671-673), civitatemque Paneadensem ceperunt (*Ib.* c. XI, pp. 674 et sq.). Hæc copiosius narrabimus ubi quas cum Turcis rationes, habuerit Fulco perspiciemus (cap. quartum).

CAPUT QUARTUM

De rationibus quas cum externis gentibus Fulco habuerit

I. QUAS RATIONES CUM TURCIS. — II. QUAS RATIONES CUM GRÆCIS.

I. — Mihi inquirenti quid rationis cum externis gentibus rex Fulco habuerit considerandum est quo modo et Turcis obstiterit qui christiani regni exitium moliebantur et Græco Imperatori qui summum imperium appetebat.

Turci, quamvis a Gothofredo, Balduino I° ac Balduino II° regibus fusi sæpissime fuissent, animis non tardabantur; immo vero ardebant ad ulciscendum. Hi multas civitates, multos agros paulatim amiserant [1]; sed Latinum regnum inexhaustis Halapiensium, Damascenorum, Ascalonitarum [2]

1. *Hist. des Inst. Mon. dans le roy. lat. de Jérus.*, c. I, pp. 76, 77.

2. Ascalonem, Fulconis tempore, nondum tenebant Latini. Vide Hernolium et Bernardum Thesaurarium, éd. Mas Latrie, c. III, p. 12 : « A cel tans (id est Fulcone regnante) estoit encore Escalonne vers les Sarrasins. » Latinorum quippe in ditionem anno 1153, Balduino III° regnante, Ascalo redacta est (Willelm. Tyr., l. XVII, c. XXX, p. 811 ; Hernol. et Bern. Thes., c. III, p. 14).

turmis undique circumdabant nec modum faciebant incursandi. Augebant insuper infestos Turcorum animos discordiæ inter Christianos ortæ; quæ quidem eo majoris momenti erant quod in morem jam veniebant[1]. Etenim, ad tria exempla sumenda, suam petierant Infideles occasionem ex controversia inter Boamundum Juniorem patriæ hereditati studentem et Joscelinum comitem Edessanum habita : Joscelini quippe fautores, contra Boamundum erant congressi[2] assiduoque bello fessum interfecerant[3]. Paulo post sibi Halim Boamundi viduam societate et fœdere, ut molestiam Hierosolymitano regi exhiberent, adjunxerunt[4]. Item Hugoni Joppensi condemnato faventes, usque Arsur non timuerant currere[5]. Plura autem ejusmodi exempla memoremus nisi jam pateat paucis illis exemplis periculum ab Halapiensibus et Damascenis et Ascalonitis creatum.

Halapienses, Sanguino principe, ex Infidelibus

1. Ibn-al-Athir, *Kamel-Altevarykh* (*Hist. Orient.*, t. I, p. 400), anno 1132 : « Des divisions s'élèvent entre les Francs de Syrie qui se combattent les uns les autres. Jusque là on n'avait pas vu parmi les Francs ces querelles dégénérer en habitudes. »

2. Willelm. Tyr., l. XIII, c. XXII, p. 590.

3. *Ib.* c. XXVII, p. 598.

4. Vide superius, cap. tertium, p. 33.

5. Quam sint significantia Tyrii hæc verba perspice : « Illi vero videntes nostrorum intestina prœlia, et domesticas seditiones, suis incrementis accedere, et nostrorum esse causam periculorum, gratuitum impendunt assensum. » (l. XIV, c. XVI, p. 629.)

potentissimi[1] erant et inquietissimi[2]. Quos Fulco vix coronatus aggressus est ; et Pontii Tripolitani comitis in Monte-Ferrando obsessi causam suscipiens primum debellavit[3]. Abjecta autem omni cunctatione Halapienses, postquam in partes Antiochenas infinitam Turcorum manum e sinu Persico profectam traxerunt, asperum Antiochenis denuntiaverunt bellum. Nequidquam : a rege apud Harenc in fugam versi ; Antiochenorum pericula sic, ut antea Tripolitanorum, sublevata[4]. Quam Fulconi victoriam gratulans Andegavensis historicus exclamat : « Diu, antequam Raimundus filiam

1. Cf. Willelm. Tyr., l. XIII, c. XXVII, p. 599 : « Halapiæ principes, Turcorum dominator potentissimus », vel « Turcorum potentissimum ducem » ; l. XIV, c. XXV, p. 644 : « Sanguinus, sicut erat vir sagacissimus, et rei militaris multam habens experientiam » ; Mar. San., l. III, p. VI, c. XVII, p. 164 : « Sanguinus æmulus nominis christiani » ; Ibn-al-Athir, *Kamel* (*Hist. Orient.*, t. I, p. 453, 454) : « Sanguin était très respecté de ses troupes et du reste de ses sujets ; son administration était parfaitement ordonnée ; sous lui le fort ne pouvait rien contre le faible ; ses Etats avant son élévation présentaient un aspect de désolation par l'effet de l'injustice, le déplacement continuel des gouverneurs et le voisinage des Francs. Il les rendit à la vie et ils se couvrirent d'habitants et de familles. » — Quam fortis fuerit Sanguinus inflatius memorat verbosiusque alias Ibn-al-Athir, *Hist. Atab.* (*Hist. Orient.*, t. II, secunda pars, p. 132 et sq. ; p. 145). — Aboulféda (*Hist. Orient.*, t. I, p. 27 et p. 62).

2. Willelm. Tyr., l. XV, c. VII, p. 668 : « Sanguinus tanquam vermis inquietus. » — Sanguinum Kugler « unermüdlichen » vocat (*Gesch. der Kreuz.*, p. 123).

3. Willelm. Tyr., l. XIV, c. VI, p. 614. — Mar. San., l. III, p. VI, c. XV, p. 162.

4. Willelm. Tyr., l. XIV, c. VII, pp. 615, 616. — Jacob. de Vitr. XCIII, p. 1116.

Boamundi duceret, Antiochenum principatum maximo labore contra Turcos absque ullo dampno manutenuit[1]. » Rex tamen in eo fuit ut adversa anno 1137 pateretur. Cum enim Sanguinus regem in castro Monte-Ferrando inclusum obsideret, non dubitabat quin Christianos in deditionem brevi tempore acciperet. At, audito Antiocheni principis Raimundi et Edessani comitis Joscelini Junioris adventu, pacem, ne iniquo marte pugnaret, annuit Sanguinus[2]. Quamobrem regi nihil aliud quam castrum abstulit, regnique occupandi spem invitus abjecit nimiam[3]. Quid multa? Christianorum fines Sanguinus, cum nec animi nec corporis laboribus defatigaretur, ter est ingressus; Sanguinum ter Fulco a regno christiano propulit, indefessus et ipse.

1. *Chr. de Gest. Cons. Andeg.* (*Chr. d'Anj.*, p. 155). Cf. *Hist. abbrev. Consul. Andeg.* (*Ib.* p. 361).

2. Willelm. Tyr., l. XIV, cc. XXV, XXVI, XXVII, XXVIII, XXIX, pp. 643-651. — Ibn-al-Athir. *Hist. Atab.* (*Hist. Orient.*, t. II, secunda pars, p. 107). — Hartwig Derenbourg, *Ousâma Ibn Mounkidh*, pars prima, pp. 154, 155, Leroux, 1889.

3. His verbis, ex Tyrio, quid proponeret Sanguinus, legati exprompserunt (l. XIV, c. XXIX, p. 650) : « Castrum jam semirutum, ante se diu non posse stare ; populum jejunum et fame laborantem, resistendi vires et animos amisisse ; suum vero e contra exercitum, necessariis abundare ; tamen domini regis intuitu, qui magnus et eximius esset princeps in omni populo christiano, dicit se universos captivos quos paulo ante ceperat, tam comitem quam alios restiturum, et domino regi cum omnibus suis liberum et tranquillum exitum, et ad propria reditum, indulturum, si ei castrum omnibus vacuum restituere voluerint. » Etenim, Fulcone assentiente, castrum Turcis resignatum fuit ; quo facto, rex sospes ad propria est regressus (Willelm. Tyr., p. 651).

Minora Damasceni Hierosolymitano regi fecere negotia. Quos quidem non mihi in animo est militari virtute, de qua haud ambigitur, fraudare : biennio enim post Fulconem regem factum, Damasceni civitatem Paneadensem obsederant violenterque effregerant (1133)[1]; Pontium Tripolitanum comitem anno 1136 sub castro, quod Mons Peregrinus dicitur, captum occiderant[2]; Neapolim civitatem ex improviso, latronum more, aggredientes, in cives irruerant incautos, ætati non pepercerant aut sexui (1137)[3]; Thecuam denique anno 1138 occupaverant, spoliis secum plena manu ablatis[4]. Sed contraxit Christianos Damascenosque utilitatum communicatio. Nam in Damascenorum possessiones cum Sanguinus anno 1139 irruisset, Damascenis postulantibus succurrerunt Christiani[5]. Optime intelligunt historici, cum orientales tum latini[6], Latinos et Infideles a Sanguino eo tempore in par et unum discrimen adductos fuisse. Sanguino nihil nisi incommodum tulerunt incepta : quemad-

1. Willelm. Tyr., l. XIV, c. XVII, p. 630, 631.

2. *Ib.* c. XXIII, p. 640. — Du Cange, *Fam. d'Outre-Mer*, p. 481.

3. Willelm. Tyr., l. XIV, c. XXVII, p. 647.

4. *Ib.* l. XV, c. VI, p. 666.

5. *Ib.* cc. VII, VIII, p. 668 et sq.

6. Ibn-al-Athir, *Kamel* (*Hist. Orient.*, t. I, p. 435) : « Le vizir représenta aux Francs le danger qui les menaçait eux-mêmes ; et les Francs reconnurent la vérité de ce qu'il leur disait. Ils virent que si Zenguy faisait une conquête aussi importante ils ne pourraient plus se maintenir en Syrie. » — Cf. Willelm. Tyr., l. XV, c. VII, p. 668 : « Hostem utriusque regni crudelissimum. »

modum enim Infideles e Christianis dissociatis utilitatem antea ceperant, sic ex Infidelibus tum Christiani. Fulco occasionem arbitratus est sibi oblatam ad hostes in amicitiam convertendos; occasionem rex eo accuratius ne prætermitteret cavit quod urbem Paneadensem, pro auxilio, se recuperaturum esse sperabat[1]. Etenim hæc civitas a Christianis simul ac Damascenis obsessa, regi Hierosolymitano, uti convenerat, tradita est[2].

Dum Halapienses armis et Damascenos fœdere icto continebat rex Latinorum præsidia ad comprimendam Ascalonitarum insolentiam ædificari hinc atque illinc jubebat : castrum videlicet Arnaldi[3] et Bersabee[4] et Ibelin[5] et Blancam Guardam[6]. Ideo-

1. Ibn-al-Athir, *Kamel* (*Hist. Orient.*, t. I, p. 435) : « Le vizir offrait aux Francs plusieurs choses entre autres d'aller assiéger Panéas, de prendre cette forteresse et de la leur remettre. » — Willelm. Tyr., l. XV, c. VII, p. 669 : « Insuper et hoste a finibus suis violenter abacto, urbem Paneadensem paucis ante annis a nobis violenter ablatam, pactis inserit, nostris absque contradictione restituendam. » — Mar. San., l. III, p. VI, c. XVII, p. 164.

2. Ibn-al-Athir, *Kamel* (*Hist. Orient.*, t. I, p. 436). — Willelm. Tyr., l. XV, cc. VIII, IX, X, XI, pp. 669-676. — Kugler, *Gesch. der Kreuz.*, p. 120 : « Das Bündniss zwischen den Christen und den Damascenern wurde ohne Zaudern abgeschlossen und trug reiche Früchte. »

3. Willelm. Tyr., l. XIV, c. VIII, p. 617. — Mar. San., l. III, p. VI, c. XV, p. 163.

4. *Ib.* c. XXII, p. 638. — Mar. San., l. III, p. VI, c. XV, p. 163.

5. *Cod. Dipl.*, t. I, p. 444. — Willelm. Tyr., l. XV, c. XXIV, p. 696.

6. Willelm. Tyr., l. XV, c. XXV, p. 697. — Vide Wilken, *Gesch. der Kreuz.*, t. II, pp. 614, 615.

que, ut memorat Tyrius, Ascalonitæ « videntes urbem per gyrum præsidis inexpugnabilibus vallatam, cœperunt de statu suo solito amplius diffidere; et principem Ægypti potentissimum, cui nihil amplius residui de universa regione factum erat, dominum suum, nuntiis frequentibus commonere, ut pro urbe, quæ imperii sui robur erat, gereret sollicitudinem[1] ». Quid postea? Cogitabat rex, ut similius veri est, de Ascalone expugnanda; et profecto rem suscepisset nisi mors intervenisset[2].

Hæc omnia bella egit Fulco exercitibus secundum a nobis jam dictum modum compositis utens[3]: quotiescumque bello petitus est nuntios in universas regni partes, ut equites peditesque convocarent, misit[4]; proprias copias copiis Tripolitanorum Edessanorumque et Antiochenorum junxit[5];

1. Willelm. Tyr., l. XV, c. XXV, pp. 698, 699.

2. Hernolius et Bernard. Thesaur., c. III, p. 14 : « Li rois Fouques tint la tiere en pais, tant com il vesqui, fors seulement d'Escalonne, que il ne pot avoir. »

3. *Hist. des Inst. Mon. dans le roy. lat. de Jérus.*, c. III.

4. De bellis cum Halapiensibus gestis vide Willelm. Tyr., l. XIV, c. VI, p. 614 : « Accitis sibi de regno universo equitum peditumque auxiliis » ; l. XIV, c. XXV, p. 643 : « Militaribus tam equitum quam peditum auxiliis conglobatis ». — De bello, Damascenis adjuvantibus, ducto vide Willelm. Tyr., l. XV, c. VIII, p. 669 : « Confestim ex omnibus regni finibus apud Tyberiadem præcipitur, tam equitum quam peditum innumera manus convenire. »

5. Willelm. Tyr., l. XIV, c. VII, p. 616 : « Convocatis ex omni principatu militaribus copiis, cum suis quos secum habebat familiaribus » ; l. XIV, c. XXV, p. 644 : « Conjunctis igitur adinvicem tam domini regis quam comitis (Tripolitani) viribus » ; l. XIV, c. XXVI, p. 645 : « Decernunt ergo pariter

toti officio bellico præfuit rex. Tibi hos exercitus licuit vera æstimatione perpendere. Nemini quidem dubium est quin exstiterint laudabiles cum, excepta apud Montem-Ferrandum clade, omnia secundissima Latinis, adversissima Turcis videris accidisse. Attamen tibi deplorandum est quod totius regni equites peditesque in moderamine regio plenius atque adstrictius non fuerint. Tempus enim amittebat rex in nuntiis mittendis ut compararentur exercitus. Nonnunquam principes dubii quid facerent, hærebant; hæsit nempe Antiochenus princeps ab obsesso in Monte-Ferrando rege vocatus[1]. Auxilium sibi sero oblatum rex conquerebatur[2]. Si res non ita se habuissent, dubium est num Sanguinus castrum appetitum accepisset. Hæc enucleate monstrat Tyrius.

II. — Turcorum ab incursionibus non satis erat regnum tueri. Cum Ciliciam et Syriæ eas partes quas citra Palæstinam sitas Crucigeri iter facientes occupaverant, tanquam proprias vindicaret Constantinopolitanus Imperator, necesse erat Imperatoris consiliis obniti. Græcos perinde ac Turcos pro hostibus habuerunt Latini. Ab his recte an perperam judicatum ? Sane Turci ab Asia Minore et Syria

ut principem Antiochenum, et Edessanum comitem Joscelinum Juniorem in suum sollicitent subsidium ; dominumque Hierosolymorum patriarcham cum universis regni populis invitent; et interim eorum quocunque modo præstolentur adventum. »

1. Willelm. Tyr., l. XIV, c. XXVI, p. 646.

2. *Ib.* l. XIV, c. XXIX, p. 651.

rejecti essent si Latini Græcique non inter se dissedissent. At Constantinopolitanus Imperator et Hierosolymitanus rex ita contraria conabantur ut societatem Græci et Latini fidam componere nequirent.

De Imperatore primum loquamur. Joannes, Alexii Comneni filius, Antiochiam universasque adjacentes provincias ad sui jurisdictionem revocabat. Quas precario tantum jure Latinis tenendas relinquebat : neque id injuria sed ex fœdere ab Alexio patre cum illis principibus qui Hierusalem ceperant Constantinopoli icto atque iterum ad Nicæam solemnibus juramentis confirmato. Alexio nempe Imperatori Crucigeri, Gothofredo duce, præstiterant se quascumque urbes comprehenderent, imperio ejus sine contradictione subjecturos esse ; Crucigeris vero Alexius se terra marique eis adfuturum[1]. Præcipue Boamundus juraverat se, si caperetur Antiochia, Imperatori urbem restiturum esse ; et Boamundo Imperator se adjuturum eum ad Antiochiam capiendam[2]. Quamobrem ubi nun-

1. Anna Comnena, l. X (*Hist. Græc.*, t. I, p. II, p. 25) : « Καὶ οὕτως ὁ Γοντοφρὲ μετ' ὀυ πολὺ τῷ τοῦ βασιλέως ἐστοίχει θελήματι. Προσελθὼν οὖν τῷ βασιλεῖ ἐπωμόσατο ὅνπερ ἀπῃτεῖτο ὅρκον, ὥστε ὁπόσας πόλεις καὶ χώρας ἢ φρούρια φθάσει κατασχεῖν ὑπὸ τὴν βασιλείαν Ῥωμαίων τὸ πρῶτον τελοῦντα, πρὸσ τὸν ἐπ' αὐτῷ τούτῳ παρὰ τοῦ βασιλέως ἀποστελλόμενον ἀρχηγὸν παραδιδόναι. Ταῦτ' οὖν ἐπομοσάμενος, χρήματά τε ἱκανὰ λαβὼν, ὁμέστιός τε καὶ ὁμοτράπεζος αὐτῷ γεγονὼς καὶ δαψιλῶς εὐωχηθεὶς, διαπεράσας κατὰ τὸν Πελεκάνον ηὐλίσατο · ὁ δὲ βασιλεὺς τηνικαῦτα ἐπέσκηψε δαψιλεῖς πανηγύρεις ἐξάγειν αὐτοῖς. » Cf. Willem. Tyr., l. III, c. XII, pp. 127, 128. — Mich., *Hist. des Crois.*, t. I, p. 194.

2. Anna Comnena, l. X (*Hist. Græc.*, t. I, pars Secunda, pp. 32, 33) ; Alb. Aquensis, l. II, c. XVIII, p. 312 ; l. V, c. II,

tius de Antiochia et Laodicia captis allatus est, litteras videmus ab Alexio missas quibus jus suum reposceret seque nuntiaret venturum[1]; a Latinis vero responsum est Alexium, cum Antiochiam obsidentibus suppetias non ivisset, pactis conventis priorem derogasse[2]. Quod Latinis objiciebant Græci, idem Latini Græcis, cum in se invicem utrique retorquerent perjurium. Suæ gentis partes tenent historici. Etenim Anna Comnena non satis reprehendere « τὴν τοῦ Βαϊμούνδου κακίαν » potest[3]; coram Alexii filia nunquam Boamundus gratiam invenit: « Ὁποῖος ἐκεῖνος δεξιὸς ἦθος ἀνθρώπου ἐν βραχεῖ καταμαθεῖν, καὶ τῆς αὐτοῦ δολερᾶς καὶ ἀποστατικῆς γνώμης κατάληψιν ἀκριβῆ

p. 434; Baldricus, l. I, c. XX, p. 25; Guibert. Novigent., l. III, c. IV, pp. 154, 155; Willelm. Tyr., l. II, c. XV, p. 93; Mich. *Hist. des Crois.*, t. I, p. 196.

1. Anna Comnena litteras ab Alexio missas enunciat, l. XI (*Hist. Græc.*, t. I, p. II, p. 74) : « Τὰ ὅρκια οἶδας καὶ τὰς ἐπαγγελιάς, ἃς οὐχ αὐτὸς μόνος, ἀλλὰ καὶ ἅπαντες πρὸς τὴν βασιλείαν Ῥωμαίων ἐποιήσαντο. Νῦν δὲ αὐτὸς πρῶτος παρασπονδήσας, τὴν Ἀντιόχειαν κατέσχες, καὶ ἄλλ' ἄττα φρούρια, ὑποποιησάμενος καὶ αὐτὴν δὴ τὴν Λαοδίκειαν. Ἀπόστηθι τοίνυν τῆς πόλεως Αντιόχου καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων δίκαιόν τι πρᾶγμα ποιῶν, καὶ μὴ θέλε πολέμους ἄλλους καὶ μάχας κατὰ σαυτοῦ ἐρεθίζειν. » Cf. Willelm. Tyr., l. VII, c. XX, p. 307.

2. Datum et a Boamundo responsum Anna Comnena memorat (*Hist. Græc.*, *ib.* 75) : « Ὑποσχόμενος γὰρ κατόπιν ἡμῶν μετὰ δυνάμεως ἔρχεσθαι πολλῆς, οὐκ ἠθέλησας τὴν ὑπόσχεσιν ἔργοις πιστώσασθαι· ἡμεῖς δὲ τὴν Ἀντιόχειαν καταλαβόντες καὶ ἐπὶ τρισὶ μησὶ πολλὰ μογήσαντες πρὸς πολεμίους ἀπεμαχόμεθα.... Καὶ πῶς δίκαιόν ἐστιν ἅπερ οἰκειόις ἱδρῶσι καὶ πόνοις ἐκτησάμεθα, ῥᾳδίως οὕτως ἀποποιήσασθαι; »

3. Anna Comnena, l. X (*Hist. Græc.*, t. I, p. II, p. 35). Vide etiam, l. XI (*ib.* p. 75) in quo dictum : « Ἐπειδὴ μὴ τῷ συνήθει ψεύδει χρήσασθαι οἷός τε ἦν. »

ἔχων[1]. » Tyrius autem episcopus de pacto ipso non ambigit : « Certum est, inquit, prædictos principes cum domino Imperatore pacta iniisse[2] » sed Imperatorem prius conditionibus defecisse obtendit ; nihil igitur mirum Latinos pacto non stetisse : « Unde ei tanquam pactorum violatori se non teneri constanter asserebant, qui prædictis conditionibus interfuerant; eosque qui jam vita decesserant, nihilominus reddebant excusatos, dicentes eum prius tanquam varium et inconstantem hominem, et cum eis fraudulenter versatum, adversus sua pacta venisse. Unde et merito lege pactorum se dicebant absolutos : iniquum est enim ei fidem servari, qui contra pacta nititur versari[3]. »

Quæ argumenta adeo non Joannes Imperator probabat ut Latinorum principum negotiis jure se immiscere appeteret. Procuratorem, quem «*ducem Antiochiæ*» appellant chartæ, in partibus Antiochenis habebat; quem Christiani non recusavisse videntur cum in illos qui acta publica subscribebant cooptaverint. Duas quidem chartas a Fulcone Antiochiæ curatore simul ac Hierosolymitano rege anno 1133[4] et anno 1135[5], duas a Raimundo principe anno 1140[6], aliam ab eodem anno 1149[7] datas

1. Anna Comnena, l. XI, p. 88.
2. Willelm. Tyr., l. XIV, c. XXIV, p. 641.
3. *Ib.* p. 642.
4. *Cart. S. Sep.*, nº 85, p. 166 : « Leone, duce, Meopoli. »
5. *Ib.* nº 86, p. 167 : « Leo dux. »
6. *Ib.* nº 88, p. 171 : « Leo Maiopolus, dux Antiochie »; nº 89, p. 177 : « Leo Maiopolus, dux Antiochie. » — Cf. Tafel-Thomas, *Fontes Rerum Austriacarum*, t. II, pp. 102, 103, nº 46.
7. *Cod. Dipl.*, t. I, nº 25, pp. 27, 28 : « Leo Majopoli dux. »

subscripsit dux Antiochiæ cui nomen Leo Maiopolus. Repugnabat et Imperator quominus cives in christianis principatibus viventes domini sui filiam, absque ejus mandato, nuptui collocarent; aut suam civitatem ditioni alterius, nisi ad eum prius retulissent, manciparent. Nec nomine tantum dominationem appetebat sed re. Ac revera sibi, post Constantiam Raimundo nuptam[1], Antiochiam vindicans arma in Antiochenos vertit; Tarsum scilicet, Adamam, Mamistramque et Anavarzam, postquam ex his civitatibus ejecit principis Antiocheni fideles, subegit citissime; Antiochiam obsidione cinxit[2]; nec prius quidem armis abstitit quam Raimundus ei fidem suam dedit (1137)[3]. Bis Antiochiæ præsidium, specie provinciæ ab hostibus tegendæ, frustra conatus est impetrare[4]. Cum item anno 1142 ante Turbessel consedit, obsides petiit a Joscelino Juniore, Edessano comite, « ut comitem hoc vinculo arctius sibi devinctum, ad prosequenda mandata sua haberet fideliorem[5] ». Ergo si Imperatori Constantinopolitano nihil impedimento fuisset, Latini in Græcorum ditionem fuissent redacti. Hanc

1. Vide superius cap. tertium, p. 37.

2. Cinnamus (*Hist. Græc.*, t. I, pars tertia, pp. 211-215); Willelm. Tyr., l. XIV, c. XXIV, p. 641; Mar. San., l. III, p. VI, c. XVI, p. 163; Ord. Vit., t. V, l. XIII, c. XXXIV, p. 99; Du Cange, *Fam. d'Outre-Mer*, pp. 187, 188.

3. Willelm. Tyr., l. XIV, c. XXX, pp. 651-653; Mar. San., l. III, p. VI, c. XVI, p. 163.

4. Willelm. Tyr., l. XV, cc. III, IV, pp. 658-663, anno 1138; l. XV, cc. XIX, XX, pp. 688-691, anno 1142.

5. *Ib.* l. XV, c. XIX, p. 689.

spem, sicut mihi videtur, fovit Imperator; ac merito reprehenditur ab historico Kugler quod majora speraverit[1]. Inde nullam hic auctor moram facit quominus Imperatorem perinde ac Sanguinum pro hostibus Latinorum cuique pertimescendis habeat et denuntiet[2].

De Hierosolymitano rege nunc dicendum. Fulco, fortissimus et sapientissimus vir, ad servandum regnum quod a socero acceperat, animum acriter intendebat : qui profecto nec fortitudinis suæ putasset esse, quam terram armis domitam Latini habuissent, eamdem Græcis tradere ; nec sapientiæ esse famam, qua jam ipse florebat, deperdere. Itaque Fulconem quod christianum regnum « viriliter » rexerit gratulantur historici non in regno solum sed et in externis regionibus viventes[3].

1. Kugler (*Gesch. der Kreuz.*, p. 125) : « Johannes begnügte sich aber nicht mit dem Lehnseide, sondern fügte die Forderung hinzu, das Raimund auf sein Furstenthum verzichten solle, sobald er dafür Haleb und die kleinen Stadte am Oberen Orontes, die man den Seldschuken entreissen wollte, empfangen haben werde. Der Kaiser stellte hiermit eine unendlich thörichte Forderung. » Cf. Wilken, *Gesch. der Kreuz.*, t. II, pp. 641 et sq.

2. Kugler (*Ib.* p. 123) : « Der ganze Bestand dieser Kreuzfahrer staaten wurde nun aber noch bei Lebzeiten Fulkos auf das Schwerste bedroht, indem neben dem unermüdlichen Imaeddin-Zengui ein nicht minder gefährlicher, ja für den Augenblick sogar noch beängstingenderer Gegner derselben in Sirien auftrat. »

3. In regno, vide Willelm. Tyr., l. XIV, c. VI, p. 614 : « Dum idem rex in regni a Deo sibi commissi viriliter desudaret necessitatibus. » In extremis regionibus, vide *Chr. de Gest. Cons. Andeg.* (*Chr. d'Anj.*, p. 155) et *Hist. Abbrev. Cons. Andeg.* (*Ib.* p. 361) : « Regnum viriliter rexit. » — *Hist. Comit. Andeg.* (*Ib.* p. 336) : « Quod igitur incepit viriliter. »

Etenim non tantum Hierosolymitanis sed etiam, ut jam dictum, Tripolitanis Edessanisque et Antiochenis rex proprio jure præerat. Si vero Imperatorem in quamlibet regni partem dominari sivisset, munia regis ea in parte ipso facto repudiavisset. Princeps[1], post Imperatori fidelitatem exhibitam, Imperatoris jussa, non regis, exquisivisset et effecisset. Quid acciderit, postquam investituram Raimundo Antiochenorum principi Joannes Imperator concessit, diligenter pertenta: «Transcursis, scribit Tyrius, circa partes Ciliciæ mensibus hybernis, vere jam reducto, et gratam exercitibus referente temperiem, missa voce præconia ex edicto imperiali publice mandatur primiceriis, centurionibus, quinquagenariis legionum, iterum cohortes instrui, instrumenta bellica reparari, armis accingi populum universum. Præmissis ergo legationibus dominus princeps (id est Antiochenorum) dominus quoque comes Edessanus, aliique illarum partium primores invitantur, ut cum domino Imperatore profisciscantur ad prœlia[2]. » Itaque princeps comesque ante Cæsaream cum Imperatore adfuerunt (1138)[3]. Quis autem, Antiochenis Edessanisque Imperatorem sequentibus, regem sequetur? Nonne periculum est ne sibi principem, comites, regem denique ipsum, Imperator sensim subjiciat; investituram quippe principi, comitibus, regi dein concessurus? Regi est cavendum ne Imperatoris homo

1. Id est seu Tripolitanus, seu Antiochenus, seu Edessanus.

2. Willelm. Tyr., l. XV, c. I, p. 655.

3. *Ib.* cc. I, II, pp. 656-658. — Mich. *Hist. des Crois.*, t. II, p. 116.

fiat aut precario tantum jure Hierusalem universumque regnum teneat. Quamobrem nuntios cum ad Fulconem dirigit Joannes significans se, libenter, si ita regi videatur, Hierusalem Sepulcri visitandi causa venturum esse, Fulco respondet : « Regnum arctissimum esse, nec ad sufficientiam tantæ multitudinis, alimentorum copiis abundare; nec tantos, nisi cum famis et rerum necessarium periculo, sustinere posse exercitus[1]. » Imperatori obviàm non exibunt Hierosolymitani nisi cum modica manu urbem intret. Sic vero Fulco Imperatorem a partibus suis amovit[2].

Fulconi hæc meditanti regni principes favebant: qui quidem auctoritatem regis, animo licet iniquo, patiebantur[3], Imperatoris autem respuebant. Nam Raimundus, quamvis Joanni fidelitatem antea exhibuisset, legationem ad Joannem, paulo post, pacti contradicendi causa, misit[4]. Defuncto Joanne (1143) Antiocheni Græcos vi non jure suas partes possedisse Manueli declaraverunt; legationem ad novum Imperatorem ab Antiochenis missam refert Cinnamus[5].

Ex his liquet Imperatorem regemque ita dissensisse ut nihil possent ex composito agere. Latini,

1. Willelm. Tyr., l. XV, c. XXI, p. 692.

2. Cinnamus (*Hist. Græc.*, t. I, pars tertia, p. 226).

3. Vide superius cap. tertium.

4. Willelm. Tyr., l. XV, c. XX, p. 690. — Otho Frising., l. VII, cc. XXVIII, XXXIII. — Du Cange, *Fam. d'Outre-Mer*, pp. 188, 189.

5. Cinnamus (*Hist. Græc.*, t. I, pars tertia, p. 227) : « βίᾳ δὲ καὶ οὐ ξὺν τῷ δικαίῳ πρὸς τῶν Ῥωμαίων τὰ νῦν ἔχεσθαι. »

Fulcone regnante, cum Græcis fœdus nec firmum neque fidum sanxere ; et Imperatori Cæsaream obsidenti segniter adfuerunt[1]; nihil igitur mirum si Cæsarienses, adjuvante Sanguino[2], obsidentibus præstiterunt. Hæc omnia Turcis maximo fuerunt emolumento. Quantum Turci societatem a Græcis Latinisque licet ad breve exiguumque tempus confirmatam ægre ferrent, intellexere Orientales historici ac demonstravere. Sanguinus cum hostibus, quibus singulis resistere haud facile poterat, universis esset impar, timebat ne non Cæsaream liberaret nisi Græcos a Latinis separaret. Quare conjurationi dissolvendæ omnem dedit operam Turcus neque eum spe frustratum fuisse historicorum orientalium testimonio docemur[3].

1. Willelm. Tyr., l. XV, c. I, p. 656 : « Princeps autem et comes, ut dicitur, adolescentes ambo, et illius ætatis lævioribus nimium tracti studiis, cæteris in prœlio et re militari desudantibus, aleam ludebant, non sine damno rei familiaris, assidue ; et circa bellorum studia remissius se habentes, cæteros quoque a fervore instantiæ suo revocabant exemplo. »

2. Aboulfeda (*Hist. Orient.*, t. I, p. 24) ; Ibn-al-Athir, *Kamel* (*Hist. Orient.*, t. I, p. 427); Kemal-eddîn, *Halap. Chr.* (*Hist. Orient.*, t. III, p. 678) monstrant Sanguinum Cæsariensibus prævalide succurrisse.

3. Ibn-al-Athir, *Kamel* (*Hist. Orient.*, t. I, pp. 427, 428) : « Zengui cherchait à inspirer à l'empereur des soupçons au sujet des Francs de Syrie. Il lui disait que les Francs redoutaient son ambition, et que, s'il quittait le pays, les Francs se sépareraient de ses intérêts. Il envoyait également ses affidés chez les Francs et les exhortait à se mettre en garde contre l'empereur. S'il parvient, leur disait-il, à occuper une seule place forte en Syrie, il voudra s'emparer de toutes les provinces que vous possédez. Ces manœuvres mirent tous les chefs en crainte les uns par rapport aux autres et l'empereur se décida à la retraite. » Cf. Kemal-eddîn, *Halap. Chr.* (*Hist.

CONCLUSIO

Artes, quas moliti erant non solum Turci sed etiam Græci, rex igitur Fulco eludere animo intento conatus est. Illis sane ut nullas agri christiani particulas deperderet, his ne precario sed proprio jure regnum suum teneret restitit. Nam Turcis Montem-Ferrandum cessit, sed Paneadensem urbem eripuit. Græcorum in arbitrio ne essent Latini curam felicem rex semper adhibuit.

Orient., t. III, p. 673) ubi hæc verba legere est de Latinis Joanni Imperatori, cum hic in Syriam venisset, resistentibus : « Par une faveur de Dieu les Francs résistèrent à l'empereur. »

CAPUT QUINTUM

De Fulconis morte

Obiit Fulco, inopinata quidem morte, cum annum alterum et quinquagesimunm ageret et in eo esset ut omnia feliciter incepta exsequeretur. Dum iret venatum, de equo ruit præceps, et, rupto collo, est mortuus. De mortis genere conveniunt auctores; sed mirabiliter variæ sunt eorum sententiæ de anno, cum alii Fulconem defunctum anno 1143[1], alii anno 1142[2], immo quidam anno 1141[3], licet privilegium a Fulcone anno 1142 datum habeamus[4], dicant. Non congruunt inter se concordius qui propioribus temporibus scripserunt cum annum 1143 Wilken[5] ac Kugler[6], annum 1142 Du Cange[7], Port[8] et Prutz[9],

1. *Chr. Turon.* (Martène, *Ampl. Coll.*, t. V, p. 1015). — *Chr. Richardi Pictavensis* (*H. F.*, t. XII, p. 415). — *Chr. Britannic.* (*Ib.* p. 558). — *Chr. S. Alb. Andeg.* (*Chr. des Egl. d'Anj.*, p. 35). — *Chr. S. Serg. Andeg.* (*Ib.* p. 146). — Willelm. de Nangiaco (*H. F.*, t. XX, p. 732). — Mar. San., l. III, p. VI, c. XIX, p. 166.

2. Willelm. Tyr., l. XV, c. XXVII, p. 702 et l. XVI, c. III, p. 707.

3. *Chr. S. Flor. Salm.* (*Chr. des Egl. d'Anj.*, p. 191).

4. Röhricht, *Regesta Regni Hierosolymitani*, p. 53.

5. Wilken, *Gesch. der Kreuz.*, t. II, p. 716.

6. Kugler, *Gesch. der Kreuz.*, p. 127. Huic auctori assentit Hartwig Derenbourg (*Ousâma Ibn Mounkidh*, pars prima, p. 204).

7. Du Cange, *Fam. d'Outre-Mer*, p. 16.

8. Port, *Dict. de Maine-et-Loire*, t. II, p. 191.

9. Prutz, *Kulturgesch. der Kreuz.*, l. I, p. 56; l. IV, p. 345.

annum 1145 Michaud[1] eligant. Horum nemini credas oportet. Etenim Tyrius Edessam illo medio temporis intervallo quod inter Fulconis obitum et Balduini III[i] consecrationem fuit captam esse memorat[2]. Atqui ex orientalium auctorum et Armeniorum testimonio videtur non esse dubium quin Edessa anno 1144 obsessa captaque fuerit[3] ; et Balduinum hoc eodem anno quo mortuus fuerit pater consecratum coronatumque fuisse docet episcopus Tyrius[4]. Anno igitur 1144 Fulconem defunctum docemur. Præterea legimus chartam anno 1149 compositam in qua sic loquitur Milisendis regina : « Actum est hoc anno ab Incarnat. Dni MCXLIX. Indictione XII. Regnante filio meo Dno Balduino (III°) rege Iherosolimorum. Anno equidem regni ejus quinto[5]. » Nullam moram faciam quominus annum 1144 eligam[6].

Rege mortuo, patuit hostium insidiis regnum,

1. Mich., *Hist. des Crois.*, t. II, p. 119.

2. Willelm. Tyr., l. XVI, c. IV, p. 708.

3. Aboulfeda (*Hist. Orient.*, t. I, p. 26). — Ibn-al-Athir, *Kamel* (*Hist. Orient.*, t. I, p. 443); *Hist. Atab.* (t. II, pars secunda, p. 118). — *Le Nodjoum* (t. III, p. 503). — Kemal-eddîn, *Chr. Halap.* (t. III, pp. 685, 686). — Grégoire le Prêtre (*Doc. Arm.*, t. I, p. 157). — De Edessa a Sanguino Turco capta Orientales historici fidem certiorem faciunt quam qui in partibus Occidentis scripserunt et civitatem anno 1142, ut Math. Paris., vel anno 1145, ut Robertus de Monte et Richardus Pictavensis, dixerunt. (Math., Par., anno 1142. — Rob. de Monte, anno 1145. — *Chr. Rich. Pictav.*, *H. F.*, t. XII, p. 415).

4. Willelm. Tyr., l. XVI, c. III, p. 707.

5. *Cod. Dipl.*, t. I, p. 29, n° 26.

6. Sic scribenti Paoli assentimur : « Averrebbe che Folco

cum puer annos tredecim natus Fulconi succederet[1] et in mulierem universi regni moles inclinata recumberet[2].

fofse morto nel novembre del 1144 » (t. I, *Notizie storiche Genealogiche*, p. 362). — Cf. *Art de vérifier les dates*, t. I, p. 440.

1. Willelm. Tyr., l. XVI, c. I, p. 704.

2. Sancti Bernardi *epist.* CCCLIV (ed. Mabill., col. 321) : « Mortuo rege viro tuo et parvulo rege adhuc minus idoneo ad portanda negotia regni et ad prosequendum regis officium, oculi omnium in te respiciunt, et in te solam universi regni moles inclinata recumbit. » — Kugler (*Gesch. der Kreuz.*, p. 127) quamplurimum morte Fulconis damni sit acceptum significat : « Sein Tod war für die Kreuzfahrer um schlimmer, als seine Söhne Balduin und Amalrich erst dreizehn und sieben Jahre alt waren. »

CONCLUSIO GENERALIS

Extremum est ut de viro et tempore judicemus.

Fulco non tantus est vir ut inter medii ævi amplissimos reges habeatur. Nemo memoriam apud posteros adipiscitur eximiam nisi magna sibi proposuit et omni ope conatus est ut eadem perficeret. Fulconem nunquam tanta cogitavisse constat. Sed non sequitur illum fuisse regno regendo vel defendendo imparem virum qualem eum pingere solent. Si huic opusculo nostro fidem dederis, rectius de Fulcone tu judicabis. Quem regni vere rectorem et defensorem fuisse fatebere : vassalis scilicet intra Hierosolymitanum principatum et extra subactis, Turcis debellatis, Græcis denique remotis. Fulco, postquam magnam sibi, cum Andegavensibus præesset, laudem pepererat, virtutem dein regum Hierosolymitanorum assecutus erat. Qui fuerat comes, is rex.

Ne magis de tempore detraxeris. Nondum enim senuerat civitas. Latinos adhuc vigentes, regem providentem ne seditiones e contentionibus fierent, terram in dies munitiorem, denique quemque de prospero rerum successu confidentem vidisti. Neque ulla causa fuit, quoad vixit Fulco, cur Hierusalem amitterent Christiani et recuperarent Turci. Horum vel illorum fortunam nemo præsumere tum potuisset.

INDEX

ONOMASTICUS ET GEOGRAPHICUS

A

B

G

H

I

J

W

TABULA

CAPUT QUARTUM

De rationibus quas cum externis gentibus Fulco habuerit

CAPUT QUINTUM

VIDI AC PERLEGI,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. XII Kal. Jul. ann. M DCCC XCIV,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR,

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.

E TYPIS TH. MERCIER
NIORTI IN PICTONIBUS

E TYPIS TH. MERCIER

NIORTI IN PICTONIBUS